PA
6789
W5

# De Tibulli codicum fide atque auctoritate

Disputavit

Fridericus Widder.

Beilage zum Programm des Grossh. Gymnasiums in Lahr

vom Schuljahre 1883—1884.

BIBLIOTHEK
D. KÖNIGLICHEN
FRIEDRICH
WILHELMS
GYM

LAHRAE.
Typis J. H. Geigeri.
MDCCCLXXXIV.

PA
6789
N5

LIBRARY
SEP 14 1932
UNIVERSITY OF TORONTO

899500

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

Horat. Epist. I, 6,67.

Tibulli librorum mss. ex rudi indigestaque mole Carolus Lachmannus, cum anno h. s. XXIX triumviros illos ederet elegiacos Romanos, tres, si auctoritatem spectamus, si numerum, quinque selegit codices, qui in tali condicione fidissimi ei videbantur et ab interpolationibus maxime liberi: Eboracensem, Parisinum, tertio denique loco tres, quatenus consentiebant, membranas: Wittianam, Datianam, Askewianam. Praeterea adhibuit fragmentum illud pervetustum et emendatissimum, quod Cuiacianum dicitur, excerpta Vincentii Bellovacensis, Puccii emendationes ad editionem Regiensem adscriptas; excerptis autem Frisingensibus, ad quae antea semel a Jano Gebhardo commemorata primus animum intenderat, casus quidam eum fraudavit.[1]) Hoc igitur a Lachmanno posito fundamento posthac Tibulli carminum tractatio nitebatur, nisi quod Lucianus Muellerus primum in Fleckeiseni annalibus philol. a. 1869, pagg. 63—67, tum in editione sua a. 1876 emissa ut excerpta Frisingensia (saecl. IX), quae in usum vocavit, summi ad Tibulli textum restituendum esse pretii, ita aliis excerptis, velut Parisinis et Vincentii Bellovacensis[2]) tanquam interpolationibus insigniter deformatis optime exposuit nullam per se tribuendam esse fidem atque auctoritatem. Iam autem Aemilio Baehrensio, quantumvis Lachmannus de melioribus libris plenis desperasset inveniendis,[3]) nova nancisci contigit subsidia, quorum postquam iam in libello, quem inscripsit Tibullische Blätter p. 60 sqq., virorum doctorum excitavit exspectationem, duobus annis post (a. 1878) editionem suam in lucem protulit praeter fragmentum Cuiacianum (F.), excerpta Frisingensia (Fris.), excerpta Parisina (Par.), hisce integris codicibus superstructam:

Guelferbytano (G, saecl. XV.), Ambrosiano (A, saecl. XIV.), Vaticano (V, saecl. XIV. vel XV.)

Nunc, quid profecerimus Baehrensiana editione, paucis comprehendam. Ac primum quidem, quamquam ne hos quidem codices interpolationum expertes esse abunde adparet con-

---

[1]) cf. proleg. p. 6.

[2]) Quibus libris plus aequo tribuisse Richterum dissertatione de Vincentii Bellovacensis excerptis Tibullianis a. 1865 Bonnae edita et Protzenum dissertatione Gryphiswaldiensi de excerptis Tibullianis a. 1869 publicata, postquam in universum bene explanavit Muellerus, singulis nonnullis exemplis infra illustrabitur cf. p. 32 sub numero I.

[3]) cf. proleg. p. 6.

latis subsidiis illis pretiosissimis F. et Fris. (cf. e. g. paneg. Messal. 205 celerem F fato GAV, Sulpic. epist. 3, 2 iam licet F non sinet GAV), tamen ipsos multo praestare libris a Lachmanno adhibitis vel inde perspicuum est, quod versus nonnulli (I, 2, 26; II, 3, 16; II, 3, 78; Lygd. 4,65), quos ab Italis illis notissimis Seneca Aurispa Pontano suppositicios esse diserta confirmant testimonia, desunt in Baehrensianis, in Lachmannianis codicibus traduntur. Neque vero multas lectiones antea ob Italorum interpolationes dubias nunc non constat antiquitus esse traditas, velut Puccii emendationes plurimas in propatulo est ipso ex cod. G desumptas esse.[1]) Porro Baehrensiani libri in duas discedunt familias, quarum alteram (x) cod. G. et, quae eiusdem sunt stirpis, excerpta Parisina,[2]) alteram (y) codd. A et V repraesentant.[3]) Quibus e codicibus, qui ad unum eundemque recurrunt archetypum (O), omnes fluxerunt recentiores (ς), ita ut horum lectiones ab illorum testimoniis diversae non antiquitus traditae, sed ab Italis excogitatae sint putandae, quibus nec maior nec minor fides habere liceat, quam quibuslibet a nostratibus prolatis coniecturis. Quibusnam autem cognationis gradibus ipse archetypus a fragmento Cuiaciano et ab excerptis Frisingensibus contingatur, certi quicquam sciri nequit. Haec omnia a Baehrensio plane pleneque exposita extra dubitationis aleam posita sunt.

Aliter autem res se habet, si quaerimus, quae ratio intercedat inter duas illas codd. familias G (Par.) et AV, utra in tot tamque gravibus testimoniorum discrepantiis alterutri sit praeferenda. Ac Baehrensius quidem cod. G. palmam dat, utpote qui ex vetusto exemplari (saecl. X vel XI) fidelissime exaratus nulli interpolationis obnoxius sit suspicioni,[4]) cum is, unde codd. AV deducti sint, codex (saecl. XII vel XIII) saepe librarii interpolationes expertus sit,[5]) quade re sine arrogantiae periculo se putat posse contendere inde a Scaligeri editione non maius emolumentum redundasse in crisin Tibullianam quam reciperato a se libro Guelferbytano.[6]) Itaque hanc tractandi viam atque rationem censet instituendam esse: „Ubi G et AV inter se dissentiunt, his fere diffidendum, ab illo autem nisi ob causas gravissimas non recedendum illiusque scripturas pro germanis communis utrique archetypi lectionibus habendas esse.“[7]) Huic a Baehrensio de cod. G prolato iudicio adstipulatus est K. P. Schulzius, qui editionem Baehrensianam recensuit in ephemeride, quae dicitur „Zeitschrift für das Gymnasialwesen“ a. 1878, ubi vid. p. 664. At vero hac de re prorsus in contrariam disputavit partem Conradus Rossbergius, qui in annal. philol. a. 1879 editis pagg. 71—79 codicem G tanquam interpolationibus egregie depravatum propriam atque peculiarem auctoritatem sibi vindicare negavit, codd. autem AV, quippe qui fidelissime propagati ne minimam quidem interpolationis prae se ferrent speciem, solos pro fundamento critico habendos esse periclitatus est demonstrare. Contendit enim librarium, qui codicis G (et exc. Par.) exaraverit parentem, pro arbitrio textum constituisse interpolationumque mole deformasse seu merae suae indulgentem mutandi lubidini seu aperta exemplaris sui menda pro virili parte emendare studentem. Quas interpolationes usque adeo in cod. G grassatas esse censet, ut et iis locis, quibus utriusque familiae lectiones suapte natura ferri possent, cod. G potius quam codd. AV testimonia in suspicionem vocanda essent.[8]) Quid quod Rossbergius statuit, ubicunque cod. G negari nequeat anteponendum esse codd. AV — cuius

---

[1]) cf. proleg. p. 11.
[2]) cf. prol. p. 11, 14 sqq.
[3]) cf. stemma a Baehrensio depictum p. 18.
[4]) prol. p. 15.
[5]) prol. p. 17.
[6]) prol. p. 16.
[7]) prol. p. 17.
[8]) cf. p. 75.

generis locorum ipse confitetur longam esse seriem — scripturas illius non nisi ex felicibus librarii coniecturis esse restitutas? [1]) — Hanc contra Rossbergii ratiocinationem Baehrensius in eodem annal. philol. volumine (pagg. 473 et 474) in universum magis disputans quam singula ab illo viro docto proposita argumenta infringens declaravit Rossbergii sibi non persuasisse argumentationem prorsusque sese in sententia sua perseverare.

Quam ad controversiam diiudicandam ut non omnes, sed graviores tantum examinabo codicum discrepantias, ita tales quoque tractabo differentias, quae ab illis viris doctis in medium non prolatae efficaces visae sint hanc ad quaestionem enucleandam atque explanandam. Neque vero singula argumenta ab illis proposita deinceps percensebo, sed in praesens neque Baehrensii neque Rossbergii sententiam respiciens propriam, quae ad controversiam tractandam aptissima mihi videbatur, viam atque rationem instituam.

# Caput I.

## De codicis G fide atque auctoritate.

Ac primum quidem, ut pervestigemus et cognoscamus, quaenam fides tribuenda sit cod. G — nam in hoc potissimum litis cardo vertitur — ante omnia circumspiciendum erit, quibus locis cod. G scripturae diversae a testimoniis codd. AV conspirent cum Fris. et F., quae fragmenta constat omnibus ceteris codicibus longe praestare. Cuius generis si invenerimus lectiones per se tolerabiles, eas antiquitus traditas et genuinas esse certum erit atque exploratum. Cum excerptis autem Fris. cod. G hisce concordat locis: [2])

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I, 1,2 | *multa* | G Par., Fris., Diomedes | *magna* | AV |
| I, 1,5 | *vita* | G Par., Fris. | *vitae* | „ |
| I, 1,64 | *vincta* | G Fris | *iuncta* | „ |
| I, 1,71 | *nec* | G Par., Fris. | *neque* | „ |
| I, 8,51 | *sontica* | G Fris. | *sentiţa* | „ |
| (II, 3,63 | *gipsatos* | G Fris. | bipsatos | „ |

F uno loco facit cum G contra AV: paneg. Mess. 40: *hic aut hic tibi* GF, *hic aut tibi* AV.

Iam examinemus has scripturas et videamus, quid inde lucremur.

De prima, quam commemoravi, differentia:

I, 1, 2: G *Et teneat culti iugera multa soli*
AV „ „ „ „ *magna* „

satis superque disputaverunt Heynius Wunderlichius [3]) Dissenius [4]) Muellerus, [5]) quos inter omnes constat *multa* veram esse scripturam, quod ad demonstrandum satis erit haec attulisse exempla: I, 1,2

---

[1]) p. 76 fin.
[2]) Quas AV cum Fris. et F communes habent scripturas, de iis infra dicetur.
[3]) cf. „observationes in Tibullum“ editioni Heynio-Wunderlichianae adnexas p. 4 et 5.
[4]) comment. p. 8.
[5]) annal. philol. a. 1869, p. 66.

Lygd. 3,5. *Aut ut multa mei renovarent iugera tauri.*
Deinde habemus huius loci manifestam imitationem apud Ovidium Fast. 3,192

*et oves pavisse nocebat*
*Iugeraque inculti pauca tenere soli.*

Magis incerta fluctuant interpretum iudicia[1]) de altero loco

I, 1,5 I, 1,5 G *Me mea paupertas vita traducat inerti*
AV ,, ,, ,, *vitae* ,, ,,

Atque alienum est hoc loco omnes enumerare et coniecturas factas et eas interpretationes, quae pertinent ad scripturam *vitae*. Nobis enim, quibus proficiscendum est a scriptura *vita* excerptis Fris. confirmata, primum omnium videndum est, haec num aptum efficiat sensum Atque coniunctivum *traducat* non exprimere optionem, ut volunt nonnulli, sed concessive, quod aiunt grammatici, hoc loco adhibitum esse pro *licet traducat*, adparet ex voce insequenti *dum luceat*. Deinde, quominus ablativum *vita inerti* accipiamus pro *per vitam*, ut Goerenzius explicat, obstat ipsum genus dicendi, quod exemplis comprobari nequit. Restat igitur Fruterii, quem Gronovius[2]) secutus est, interpretatio et aptissima et verissima: „propter paupertatem licet infament me homines et per ora traducar tanquam piger, iners, nihil curo, dum assiduo igne focus mihi luceat.“ Quae explicatio quamquam ipsis poetae verbis non satis accomodata evidentissime illustratur eiusdem carminis vv. 57 et 58:

*Non ego laudari curo, mea Delia: tecum*
*Dum modo sim, quaeso, segnis inersque vocer.*

Verba autem *vita inerti* pro ablativo causali accipienda sunt ad vocem *paupertas* pariter atque ad *traducat* referenda, ita ut hic evadat sensus: Quia, cum alii assiduo labore divitias parare studeant, mea vita iners est, eam ob causam pauper sum et per ora traducor hominum, sed nil curo, dum modo e. q. s. *Traducere* autem idem significare posse quod *infamare, ostentui vel derisui exponere quasi per ora hominum ducere* hisce conroboretur exemplis:

Propert. III, 16,7[3]) *Nec sic per totam infamis traducerer urbem.*

Martial VI, 77,5. *Rideris, multoque magis traduceris, Afer.*

Liv. II, 38: *vestras coniuges, vestros liberos traductos per ora hominum . . .*

Petron. Sat. 87 (ed. Buecheler p. 56). *Despectum se et derisum et traductum inter discipulos . . .* ibid. 17 (p. 12) *peto et oro ne . . .faciatis neve traducere velitis tot annorum secreta.* Recte igitur Muellerus et Baehrensius *vita* in textum receperunt.

De locis vero, qui restant, ubi apertas codd. AV exhibent corruptelas: *iuncta* pro *vincta, sentita* pro *sontica, bipsatos* pro *gipsatos, hic aut tibi* pro *hic aut hic tibi* omnino nulla ex-
I, 1,71 tare potest dubitatio. Etiam I, 1,71 a forma *nec* pro *neque* non est, quod recedamus, quoniam Tibullus *nec* et ante consonantes et ante vocales posuit,[4]) e. g. ante consonantes I, 1,26 *nec semper*, 29 *nec tamen;* ante vocales I, 2,95 *nec ante* I, 3,47 *nec ensem*. Quod attinet ad elo-
I, 8,51 cutionem *sontica causa* rarissima illa quidem est neque usquam apud scriptores huius aetatis ursupata, tamen duobus bonis confirmatur documentis. Dixit enim Festo testante Naevius:[5])

---

[1]) cf. Heyne-Wunderl. observ. p. 7 et 8.

[2]) In Gronovii antidiatrib. elencho, quem excitat Wunderlichius, nil de hoc loco inveni.

[3]) In Propertii locis excitatis Lachmannianae editionis a. 1816 emissae secutus sum numeros.

[4]) cf. Kleemann *de libri tertii carminibus, quae Tibulli nomine circumferuntur.* dissert. Argentorat. a. 1876, p. 34.

[5]) fragm. com. XXI, 128 Ribbeck com. Roman. frag.[2] p. 29.

*Sonticam esse oportet causam, quam ob rem*
*Perdas mulierem.*

Eiusdem Festi testimonio eandem Cato[1]) adhibuit elocutionem. — Ipsas autem codd. AV corruptelas adhuc commemoratas ex librarii neglegentia profectas esse sponte elucet. Nam vocem *magna* pro *multa* mori illi tribuendum esse, „quo suppositis synonymis aut totidem syllabarum eiusdemque mensurae vocabulis auctorum verba magis ad communem tum intellectum accomodabantur aut etiam mera variandi lubidine immutabantur" minime necesse est cum Baehrensio[2]) statuamus, quoniam vocabulorum *magnus* et *multus* frequentem esse in codicibus variationem non minus recte adnotat Muellerus,[3]) quam illud *vitae* ex *vita* per simplicem ortum esse litterarum confusionem. De reliquarum autem corruptelarum origine non est, quod verba faciamus.

His igitur locis postquam vidimus cod. G scripturas non modo excerptorum Fris. stabiliri auctoritate, sed etiam reapse optime commendari, iam audiamus Rossbergium dicentem, ubicunque cod. G praeferendus sit codd. AV, illius scripturas revocandas esse ad librarii cuiusdam emendationes. Fieri sane quidem potuit, ut librarius menda tam manifesta, qualia sunt *bipsatos, hic aut tibi, iuncta* per coniecturas quasi ultro sese offerentes in integrum restitueret. Vix autem ac ne vix quidem veri ducemus simile *sonticam* vocem tam raram atque ab usu tam remotam[4]) de suo illum Tibullo reddidisse. Quid vero librarium nescioquem commovisse putabimus, ut scripturas *magna* et *vitae* per se minime intolerabiles in *multa* et *vita* immutaret? An censes tanta illum monachum praeditum fuisse artis criticae facultate, ut sentiret curruptelas easque quasi divinitus in integrum redigeret? Itaque cod. G scripturas, quas hucusque commemoravimus, non a librario excogitatas esse, sed antiquitus fuisse traditas et externa testimonia et argumenta interna nos cogunt, ut statuamus.

Utraque autem argumentandi ratio etiam alio quodam valet loco, ubi destituti quidem sumus excerptis Fris., tamen ipsis in codd. G, AV ea est traditionis natura atque indoles, ex qua maximum capiamus emolumentum ad quaestionem propositam discernendam. Exhibent enim II, 1,67 II, 1,67.

G *Ipse interque greges interque armenta Cupido*
V „ *quoque inter greges* „ „ „
A „ *quoque inter agros* „ „ „

Quibus in testimoniis ante omnia oculis sese inculcabit, quod codd. A et V, quamquam eiusdem sunt stirpis, ita inter se discrepant, ut V cum G lectionem *greges* habeat communem, A exhibeat scripturam *agros* ab illa diversissimam. Atque priusquam transeo hunc ad statum traditionis explicandum sat memorabilem, monendum est — ut statim sciamus, quorsum tendat argumentatio, — Rossbergium lectionem cod. G ex librarii coniectura profectam censentem[5]) Klotzii emendationi adstipulari, qui vocem *agros* in *apros* immutavit.[6]) — Sed in praesens nil curantes, quaecunque et Klotzio et Rossbergio visa sunt, primum omnium indagabimus, quid ex ipso traditionis externo habitu possit enucleari. Atque testimoniis tam graviter ut hoc loco inter se dissidentibus semper primaria est quaestio, quaenam lectionum ita sit comparata, ex

---

[1]) orat. fragm. 58 ed. Jordan p. 65.
[2]) prol. p. 17.
[3]) annal. philol. 1869, p. 66.
[4]) cf. infra p. 33 sub numero II.
[5]) pag. 78.
[6]) annal. philol. 1869, p. 793/94.

qua ceterae, quomodo originem duxerint, probabiliter possit erui: haec autem lectio communis archetypi esse iudicanda erit. Secundo deinde loco anquirendum est, num ita sese commendetur illa scriptura, ut pro vera atque genuina haberi possit. Nunc autem si cum Rossbergio a cod. A lectione *agros* ordimur, quanam ratione ex hac lectione codicis V, utpote quem constet ex eodem exemplari descriptum esse, scripturam *greges* ortam esse nobis fingemus? Neque enim quisquam sanae mentis de errore librarii vel lapsu calami cogitabit. An ad eam descendamus opinionem, ut per coniecturam putemus librarium tam foede contra rem metricam peccasse (*intēr greges*)? Itaque *greges* ex *agros* deduci nequit. At vero si statuimus archetypum codd. AV(y) tradidisse *ipse quoque inter greges,* quid veri potest poni similius quam librarium quendam, ut metricam offensionem tolleret, vocabulo *greges* lectionem *agros* superscripsisse, superscriptam vocem — quod saepissime factum est — in cod. A transisse? Quoniam igitur *greges* ex *agros* haudquaquam, facillime *agros* ex *greges,* quomodo originem traxerit, intellegi potest, haud dubitabimus, quin archetypus codd. AV hunc textum exhibuerit corruptum: *ipse quoque inter greges.* Vides igitur ipsum fundamentum corruere, quo Klotzii nititur coniectura. Iam, ut huius corruptelae pervestigemus originem, ad cod. G confugiemus, ubi primum nobis occurrit lectio *greges,* quam iam antea antiquiorem esse iudicavimus, deinde textum habemus omnis metricae offensionis expertem. Atque si contigerit verba illa depravata *ipse quoque inter greges,* quomodo emanarint ex *ipse interque greges,* probabiliter demonstrare, tum pro certo ponere poterimus cod. G hob loco communis archetypi (O) servasse scripturam. Fac igitur in hoc archetypo per compendium scriptum fuisse *interq̲;* (= *interque*); fac porro hoc compendium cum vocis *quoque* abbrevatione simillima q̊, confusum esse, tum transpositio vocabulorum *inter quoque* ideo nil habebit miri, quod, ut in omnibus fere codicibus talia facta sunt, ita his quoque in libris huius rei exempla inveniri paulo post videbimus. Itaque corruptelae nascentis et latius serpentis hanc claram nobis informare poterimus imaginem:




Itaque demonstrasse mihi videor cod. G hoc loco scripturam antiquitus traditam exhibere. Proximum est, ut quaeramus, num etiam pro vere Tibulliana haberi possit. Atque caveas, ne Klotzii iudicio acerbissimo pariter atque inustissimo tibi imponi patiaris cum indignatione exclamantis *interque greges* infelicissimam esse coniecturam unquam Tibulli carminibus adlatam. Rossbergius nimirum pro sententia sua cum illo consentit; sed quid valet argumentum, quale est: „Das *quoque* scheint nicht aufgegeben werden zu dürfen"! Immo vero, post pronomen *ipse* Amoris

personam maxima cum vi extollens *quoque* illud non modo supervacaneum est, sed etiam admodum languet atque claudicat. Sed audiamus Klotzium, qui *greges* ideo ferri non posse putat, quod hoc loco non de *mansuetis* pecudibus agi, sed solis de *feris* luculenter adpareat ex verbis, quae sequantur *indomitas . . . inter equas,* cui sensui etiam *armenta* boves feros interdum significans inserviat, minime autem *greges*. Quae offensio, ut ad irritum redigatur, hoc respicias exemplum

II, 4,57 . . . *ubi indomitis gregibus Venus afflat amores*

ex quo manifestissime elucet *greges* etiam de feris posse dici. Quod cum ita sit, quid porro obstat, quominus *indomitas* non solum ad *equas,* sed etiam ad *greges* et *armenta* tacit referamus?[1])

Praeterea cf. hos Ovidianos locos

Metam. I, 513 . . . *non hic armenta gregesque*
*Horridus observo.*

„ IV, 634 *Mille greges illi totidemque armenta per herbas*
*Errabant.*

Cur autem ipsum versum euphoniae non satisfacere censeat Klotzius, non perspicio. Videtur *interque* illud in eodem versu bis positum scrupulum ei adiecisse, quamquam huius usus loquendi permulta apud poetas extant exempla, quorum satis habeo unum adscripsisse

Lygd. 1,4 *Perque vias urbis munera perque domos.*

Congesserunt talia exempla Handius Tursell. III, p. 409, Forbigerus ad Vergil. Aen. II, 358. — Quibus expositis persuasum habebimus cod. G hoc loco scripturam praebere omni ex parte comprobatam.

Quoniam adhuc tales tractavimus locos, quibus ad cod. G auctoritatem conroborandam ipsius traditionis natura nobis attulerit auxilium, nunc ad eas transeamus discrepantias, quas ad diiudicandas solum vel ex genere dicendi vel ex metricis observationibus vel ex nexu sententiarum petenda sint argumenta.

Atque initium capiemus ab eis locis, quibus diversam inter se duae codicum familiae exhibent conlocationem verborum. Sunt autem hice:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I, 1,78 | despiciam dites | G (Par.) | dites despiciam | AV |
| I, 3,9 | cum me | G | me cum | AV |
| I, 3,30 | fores . . . sacras | G | sacras . . . fores | AV |
| I, 8,9 | prodest molles | G (Par.) | molles prodest | AV |
| I, 9,53 | donis puerum | G | puerum donis | AV |
| II, 6,49 | promissa mihi (est) | G | mihi promissa (est) | AV |
| Lygd. 3,27 | reditu dulci[2]) | G | dulci reditu | AV |
| de Sulp. et Cerinth. amor. 4,7 | te per | G | per te | AVF |

Omnes hos locos Rossbergius dicit[3]) in cod. G mera interpolatoris lubidine depravatos esse. Iam concedamus Rossbergio falsum cod. G exhibere verborum ordinem: ante omnia ei obiciendum est huius generis corruptelas satis frequentes in libris mss. non transponendi lubidini librariorum tribuendas esse, sed eorum socordiae atque oscitationi. Namque quem ad finem putemus interpolatorem illum e. g. I, 5,7 *per te* intactum reliquisse, immutasse de Sulp. et Cerinth.

---

[1]) cf. Dissen de poesi Tibulli p. 165 et 171.
[2]) Quod Baehrensius prol. p. 16 testatur, Rossbergium effugit.
[3]) l. l. p. 76.

amor. 4,7 *per te* in *te per?* — Nunc vero differentias illas ad obrussam exigamus, ut videamus, num rectam de his cod. G scripturis Rossbergius pronuntiaverit sententiam.

I, 1,78 Primum igitur, quem commemoravi, locum I, 1,78 sic tradunt codices

*G (Par.) Despiciam dites despiciamque famem.*

*AV Dites despiciam* ,, ,,

Quo loco cod. G sequendum esse iam dudum inter viros doctos constat. Ac Baehrensio quidem permirum illud accidit, quod, cum olim[1]) *dites despiciam* Tibulli consuetudini magis respondere temere contendisset atque nullo adlato argumento, postea[2]) *despiciam dites* magis esse ex usu Tibulliano recte ut statueret cum aliis, his adductus est exemplis

I, 4,82 *Deficiunt artes deficiuntque doli.*

II, 5,105 *Pace tua pereant arcus pereantque sagittae*

II, 6,9 *Castra peto valeatque Venus valeantque puellae.*

Quibus locis hos addo consimiles

I, 7,64 *Candidior semper candidiorque veni*

II, 5,100 *Cespitibus mensas cespitibusque torum.*

His exemplis perspicuum est talibus in repetitionibus poetam certam sibi imposuisse regulam, qua eadem verba in uno eodemque versu bis posita non proxime sese exciperent, sed alterum ab altero uno vocabulo dirimeretur.[3]) Admodum autem falsus est Dissenius, cum dicit[4]) „in huius modi rebus non consuetudinem quandam valere, sed sententia cuiusque loci quid postulet videndum esse, unde liqueat hoc loco necessario verbum primum locum occupare debere.“ Namque primum non video, quomodo sensus mutaretur aut infringeretur, si *dites* in versus initio positum esset; deinde autem vel plurimum consuetudini tribuendum esse ex eo patet, quod non modo usquequaque constans est ille usus dicendi, sed etiam consulto atque dedita opera poetam rationem illam verborum conlocandorum amplexum esse certissimo potest demonstrari argumento. Ubicunque enim poetae per metrum licebat utramque adhibere verborum posituram, velut I, 4,82; I, 7,64; II, 5,100 semper eam selegit, qualem hoc loco praebet cod. G. Accedit, quod *despiciam dites* metrica re magis comprobatur; namque in initio pentametri dactylus spondeo sequente multo frequentius et elegantius conlocatur quam spondeus dactylo sequente, praesertim cum, ut hoc loco, ipse hexameter, qui antecedit, a dactylo initium capiat.[5])

I, 8,9 Huic loco adicio I, 8,9, ubi legimus in

G (Par.) *Quid tibi nunc prodest molles coluisse capillos*

AV ,, ,, ,, *molles prodest coluisse capillos*

Quo loco cod. G rectum atque genuinum exhibere ordinem verborum a superioribus editioribus prorsus neglectum iterum ex Tibulli consuetudine — quoniam neque sensus neque metrum ullam ansam dat diiudicandi — satis magna cum probalitate demonstrari potest. Cum igitur hoc loco conlocationes verborum ita inter se differant, ut in codd. AV per chiasmum, quem vocant, posita sint verba, altera autem in positura verborum chiasmus non extet, circumspiciendum erit, utram in similium verborum iunctura poeta magis adamaverit rationem conlo-

---

[1]) Tibullische Blätter p. 62.

[2]) prol. p. 14.

[3]) cf. infra p. 35 sub num. III.

[4]) comment. p. 29.

[5]) cf. L. Mueller de re metrica p. 145, Drobisch in act. societat. saxon. Lips. a. 1871 vol. XXIII, p. 1 sqq., ubi vid. p. 12.

candi. Iam haec si respexeris exempla, codicis G quin praeferendum sit testimonium, nulla, opinor, tibi residebit dubitatio:

I, 4,47 *Nec te paeniteat duros subiisse labores*

I, 3,33 *At mihi contingat patrios celebrare Penates*

II, 4,7 *O ego ne possim tales sentire dolores*

II, 3,44 *Praedator cupit immensos obsidere campos*

Lygd. 4,65 *Saevus amor docuit validos tentare labores*

Quorum exemplorum ea, quae tertio et quinto loco laudavi, eo sunt evidentiora, quod metrum non obstitit poetae, quominus utraque uteretur positura verborum. Sed exempla, quae cod. G hoc loco sequendum esse confirmant, latius patent, si eorum quoque rationem habemus, quibus si non verbi, a quo pendet infinitivus, at certe adiectivi solo infinitivo a substantivo suo seiuncti eadem sit conlocatio, quam cod. G exhibet, velut

I, 10,61 *Sit satis e membris tenuem praescindere*[1]) *vestem.*

I, 9,30 *Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.*

I, 1,30 *Aut stimulo tardos increpuisse boves*

II, 1,72 *Gestit et atroces perdomuisse viros.*

Hac autem a consuetudine tam multis exemplis illustrata quod duo tantum abhorrent, scilicet

I, 1,50 *Qui maris et tristes ferre potest pluvias*
II, 3,60 *Illi selectos certent praebere colores*

statuendum erit his locis nonnisi metrica necessitate coactum poetam a se discessisse. Sed accedit alterum argumentum huius ipsius distichi ex structura repetitum. Si enim cod. G sequimur, maxima cum concinnitate inter se respondent — id quod saepenumero fit — verba

hexametri . . . . . *molles coluisse capillos.*
et pentametri . . . . . *mutatas disposuisse comas.*

Similem habemus responsionem I, 4,47. 48

*Nec te paeniteat duros subiisse labores*
*Aut opera insuetas atteruisse manus.*

Dehinc progrediemur ad illam discrepantiam discernendam, quae extat I, 3,9 I, 3,9

G *Delia non usquam, quae cum me mitteret urbe*
AV ,, ,, ,, ,, *me cum* ,, ,,

Quo loco ab omnibus et editoribus et interpretibus mihi est dissidendum. Atque — hoc ut statim moneam atque absolvam — Huschkius Heynius Muellerus propter insequentem (v. 10) vocem *ante* cum Dousa scripserunt *quam* pro *cum*. Sed ipse sonus verborum *usquam quae me quam* tam graviter ferit aures, ut talem cumulationem vocabulorum dissonorum nefas sit Tibullo per coniecturam imputare. Hanc autem offensionem Heynius verbo substantivo *est* post *usquam* inserto lenire studuit, quem Wunderlichius[2]) secutus est, „cum copula ad priora quoque *non hic mihi mater* (v. 5) et *non soror* (v. 7) pertineat." Sed primum ne desideramus

---

[1]) Hanc perbonam cod. G scripturam genuinam iudico.
[2]) cf. observat p. 60.

quidem verbum substantivum saepissime omissum (e. g. I, 4,23; I, 7,10 sqq.; II, 1,80; II, 3,32; II, 5,107); deinde autem ipso ex eo, quod vv. 5 et 7 copula abest, liquido adparet poetam de industria *est* omisisse, quo gravior fieret oratio atque nervosior. Porro audacissima est ratio, qua coniecturae alicuius gratia insuper intolerabilis nova coniectura eaque superflua textui immisceatur. Omnino autem nullam extare causam, qua coacti illud *cum* propter sequentem vocem *ante* removeamus, recte dicit Handius in Tursell. I, p. 377. Namque non est, cur *ante* et *cum* comparationis ratione cohaerere statuamus, sed *cum* tempus distinctius atque accuratius definiens per se ipsum stat, quade re Lachmannus Dissenius Baehrensius suo iure *cum* retinuerunt. Iam autem quaestio oritur, utrum *cum me* (G) an *me cum* (AV) scribendum sit. Atque admodum est notabile, quod ne Baehrensius quidem cod. G lectionem in textum recepit, a quo codice ipse dicit nisi ob causas gravissimas non recedendum esse. Qua re eo magis adductus sum, ut non solum ipsius Tibulli et Lygdami, sed etiam Catulli Horatii Propertii Ovidii in usum dicendi huc pertinentem inquirerem. Quos apud poetas, nisi exemplum me effugit, ubicunque coniunctio *cum* proxime adposita est pronominibus *me te se,* ante haec pronomina collocata est, nusquam ea sequitur. Legimus igitur

apud Tibullum: *cum me* I, 4,79; 9,79; *cum te* II, 5,43; apud Lygdamum: *cum te* 4,55; *cum se* 5,4; apud Catullum: [*cum te* 80,3] [1]), *cum se* 66,52; apud Horatium: *cum me* Sat. II, 3,262; [I, 4,107]; *cum te* Sat. I, 1,38; II, 4,4; II, 7,65; *cum se* Epist. I, 16,64; II, 1,261; apud Propertium: *cum me* III, 7,33; IV, 2,13; *cum te* III. 12,27; III, 29,9; apud Ovidium: *cum me* Amor. III, 1,57; Epist. ex Ponto I, 2,11; I, 9,15; *cum te* Heroid. 15,189 (ed. Riese).

Huic autem usui dicendi sibi constanti unus locus Tibullianus videtur repugnare, scil.

I, 2,67 . . . . *qui te cum posset habere*

Quibus locus propter relativum pronomen, quod extat ante *te cum,* ei, de quo agitur, simillimus est. Quid igitur? Num putemus hoc exemplo lectionem codd. AV *quae me cum* fulciri? Minime! Illo enim loco (I, 2,67) poetae iustissima erat causa, cur a communi usu loquendi discederet. Quoniam enim tota vis atque gravitas sententiae ipso in pronomine *te* posita est:

. . . . . *qui te cum posset habere*
*Maluerit praedas stultus et arma sequi.*

oppositionis, quae extat, acuendae causa vocem *te* poeta consulto conlocavit in *arsi.* Hoc autem loco, si cum codd. AV scriberemus *me cum,* haec vocabulorum conlocatio a vulgari usu dicendi abhorrens non haberet, unde excusari posset; immo vero, quoniam temporis notio hoc loco premitur, illud *cum* multo aptius in arsi positum est quam in thesi. Iam autem, ne cui videatur pronomen relativum antecedens illo loco quicquam valuisse ad vocabulorum ordinem eamque ob causam hoc quoque loco scribendum esse *mecum*, hunc ad scrupulum removendum Ovidii affero exemplum, quod legimus Epist. ex Ponto I, 2,11 *qui cum me.* Videmus igitur codicis G scripturam omni ex parte commendari.

Nunc, ut differentiam codd. discernamus, quae extat

II, 6,49 II, 6,49 G: *Saepe ubi nox promissa mihi est, languere puellam*
AV ,, ,, ,, *mihi promissa est,* ,, ,,

primum omnium animadvertendum est alteram verborum conlocationem alteram efficere speciem metricam

G — ∪ ∪ — [— — ∪ ∪ —] — — ∪ ∪ — ∪
AV — ∪ ∪ — [∪ ∪ — — —] — — ∪ ∪ — ∪

Iam quaeritur, num poeta alteram alteri eis locis praetulerit, quibus utramque potuerit adhibere. Atque priore metrica forma usus est

---

[1]) Loci uncis inclusi ita sunt comparati, ut poeta inversum ordinem non potuerit adhibere.

II, 3,56 *Illa gerat vēstēs tĕnŭēs,* quamquam dicere potuit *tĕnŭēs vēstēs*
II, 4,53 *Quin etiam sēdēs iŭbĕāt* „ „ „ *iŭbĕāt sēdēs*
posteriore
II, 4,41 *Quin tua tunc iŭvĕnēs spēctēnt* „ „ „ *spēctēnt iŭvĕnēs*
II, 6,43 *Nec lacrimis ŏcŭlōs dīgnā est* „ „ „ *dīgnā est ŏcŭlōs*
II, 6,45 *Lena necat mĭsĕrūm Phrȳnē* „ „ „ *Phrȳnē mĭsĕrūm*

Quibus ex exemplis quoniam apertum est utrumque schema metricum a poeta pariter usurpatum esse, hac ex parte, quid statuendum sit, pervestigari nequit. Propius accedemus ad veritatem, si quaeremus, utrum *promissa* an *mihi* cum insequenti verbo substantivo pro Tibulli consuetudine aptius coalescat, id quod hoc exemplo in clara conlocabitur luce:

I, 8,57 *Nota Venus furtiva mihi est . . .*

ubi habes eundem verborum ordinem, idem metrum atque in eo versu, qualem cod. G exhibet. Itaque huius lectionem pro vera habebimus. —

Nihilo tamen setius omnibus locis, quibus cod. G verborum conlocationem praebet a codd. AV diversam, illa recta potest existimari. Neque id mirum. Quoniam enim in aliis quoque codicibus pristini verborum ordinis per librariorum socordiam turbati exempla reperiuntur, cur tandem Rossbergii gratia opinemur cod. G iis carere? Iam supra attigi locum extantem de Sulp. et Cerinth. amor. 4,7, ubi codd. AV lectio *per te* pro *te per* (G) et stabilitur fragmento Cuiaciano et comprobatur simili loco I, 5,7, ubi in cod. G recte legimus *per te*, cum AV per corruptelam, quam ex versu ineunte apertum est irrepsisse, exhibeant *parce.* de Sulp. et Cer. a. 4,7. I, 5,7

Deinde I, 3,30, ubi traditum est in I, 3,30

G *Ante fores lino tecta sacras sedeat*
AV „ *sacras* „ „ *fores* „

quominus cum cod. G faciamus, illa, quam poetae elegiaci sequi solent, impedit regula, ut in priore pentametri membro adiectivum, substantivum, ad quod illud refertur, in posteriore ponant. Hunc autem usum propterea supersedemus exemplis illustrare, quod unoquoque fere pentametro eum invenimus comprobatum.[1])

I, 9,53, ubi exhibent I, 9,53

AV *At te, qui puerum donis corrumpere es ausus*
G „ „ „ *donis puerum* „ „ „

sola metrica differentia, quae intercedat, accurate ponderanda diiudicare poterimus, utra sit vera scriptura. Atque haec diversa inter se habemus schemata metrica

AV — — — [⏑⏑— — —] — — ⏑⏑— ⏑
G — — — [— —⏑⏑—] — — ⏑⏑— ⏑

quorum in priore vox anapaestica (*puerum*) antecedit vocem spondiacam (*donis*), sequitur in posteriore. Iam ut indagemus, utram metricam formam poeta alterutri praetulerit, ei nimirum aliquid valebunt versus, in quibus utramque potuerit adhibere poeta, alterutram selegerit. Atque haec percenseas exempla

I, 3,87 *Ac circa grăvĭbūs pēnsīs affixa puella.*
I, 4,81 *Eheu, quam Mărăthūs lēntō me torquet amore!*
I, 5,69 *At tu, qui pŏtĭōr nūnc ēs, mea fata timeto.*
II, 3,58 *Illi sint cŏmĭtēs fūscī, quos India torret.*

Quibus omnibus in versibus prius metrum, quod habemus in versu codicibus AV tradito, poetam scientem praetulisse inde manifestum est, quod nil obstitit, quominus diceret

---

[1]) Hac de re bene disseruit Gruppius „Die römische Elegie" I, p. 20.

pro: *grăvĭbūs pēnsīs* *pēnsīs grăvĭbūs*
„ *Mărăthūs lēntō* *lēntō Mărăthūs*
„ *pŏtĭōr nūnc ēs* *nūnc ēs pŏtĭōr*
„ *cŏmĭtēs fūscī* *fūscī cŏmĭtēs.*

At vero in versibus, quorum species eadem est, quam versus exhibet in cod. G traditus, ut

I, 1,59 *Te spectem, sūprēmă mĭhī cum venerit hora*
I, 2,61 *Quin credam? nēmpe hāēc ĕădēm se dixit amores*
I, 8,61 *Quid prosunt ārtēs, mĭsĕrūm si spernit amantem*
II, 3,32 *Felices ōlīm Vĕnĕrī, cum fertur aperte*

statim vides ne potuisse quidem poetam prae variis impedimentis alteram instituere verborum conlocationem. Itaque hoc loco necesse est sequamur testimonio codd. AV. Quo concesso in propatulo est, quid de ultima statuendum sit differentia huius generis, quae extat Lygd. 3,27

Lygd.3,27

G *At si pro reditu dulci quaecunque voventur*
AV „ „ „ *dulci reditu* „ „

quos inter versus prorsus idem interest discrimen metricum, quod modo disceptavimus

G — — — [⏑⏑ — — —] ⏑ — — ⏑⏑ — ⏑
AV — — — [— — ⏑⏑ —] ⏑ — — ⏑⏑ — ⏑

praeterquam quod nunc duae codicum familiae quasi vices alternaverunt. Idem enim argumentum, quod antea valebat ad cod. G testimonium repudiandum, hoc loco aptum est ad eius fidem comprobandam. Restat sane, ut demonstretur Lygdamum illa in consuetudine cum Tibullo consentire, quod ita esse his exemplis perspicuum est:

1,21 *Sed primum mĕrĭtām lārgā donate salute*
4,39 *Hanc primum vĕnĭēns plēctrō modulatus eburno,*

ubi metri causa poeta dicere potuit *lārgā mĕrĭtām* et *plēctrō vĕnĭēns*. Quoniam autem nullum apud Lygdamum inveni exemplum, quo *dulci reditu* perinde probaretur ac *reditu dulci*, non dubito lectionem codicis G pro vera iudicare.

Iam igitur eorum, quae de discrepantiis ad verborum conlocationem pertinentibus exposuimus, ut summam faciamus, effecisse nobis videmur, cod. G pristinum et genuinum exhibere verborum ordinem hisce locis

I, 1,78 *despiciam dites*; I, 3,9 *cum me*; I, 8,9 *prodest molles;* II, 6,49 *promissa mihi est;* Lygd. 3,27 *reditu dulci;*

codd. AV hisce:

I, 3,30 *sacras . . . fores;* I, 9,53 *donis puerum;* de Sulp. et Cerinth. am. 4,7 *per te.*

Itaque videmus praeoccupata opinione magis quam his differentiis accurate examinatis Rossbergium contendisse omnibus his locis cod. G depravatum esse per interpolationem; etenim ipsorum locorum, quibus ille codicis G statum interpolatum studebat evincere, plerique abunde adfatimque nos docuerunt codici G magnam tribuendam esse fidem atque auctoritatem. Namque tam egregias atque exquisitas cod. G vidimus exhibere scripturas, quas — ut taceam de depravatione per interpolatorem commissa — ne emendatrici quidem operae librarii alicuius nobis liceat adscribere, sed quae solo a poeta ipso profectae esse possint. An putabimus monachum quendam tam subtilia sensisse discrimina, qualia inter diversa illa codicum testimonia explanavimus intercedere? Nunc si consideraverimus lectionem illarum codicis G nonnullas antea vel neglectas esse (ut I, 8,9 *prodest molles*) vel omnino non notas fuisse (ut I, 8,9 *cum me;* Lygd. 3,67 *reditu dulci*), intellegemus magnum e codice G recuperato in Tibulli textum restituendum redundasse fructum. Itaque haud cunctabimur statuere cod. G ad bonum recurrere exemplar. Quod si ita est, haec tenenda erit ratio tractandi: ubicunque codicis G scriptura nescioquam ob causam anteponenda est testimonio codicum

AV, illa antiquitus tradita et recta neque tamen ex correctoris ingenio orta iudicanda est.

Talium igitur locorum iis, quos adhuc persecuti sumus, addam nonnullos. — Atque sunt lectiones codicis G permultae, quae quin verae sint nulla fere exoriri possit dubitatio, velut

I, 6,18 G *Neve cubet laxo pectus aperta sinu* I, 6,18
AV ,, ,, *lasso* ,, ,, ,,

ubi *laxo* etiam Ovidian quodam loco, quo hic Tibullianus aperte exprimitur, comprobatur; legimus enim

Fast. I, 408: *Altera dissuto pectus aperta sinu*
cf. Tibull. I, 6,40: *Et fluit effuso cui toga laxa sinu.*

Deinde II, 6,45 optimam cod. G praebet scripturam II. 6.45

*Lena necat miserum Phryne* . . . . . .
ubi . . . . . ,, *vetat* ,, ,, . . . . . codd. AV

exhibent per lenem corruptelam. De lectione autem *necat* antea pro Pontani emendatione habita, a Lachmanno[1]) iniuria addubitata, non est, quod fusius disseram, quoniam bene de ea Dissenius[2]) mihi videtur disputasse; hoc tantum commemoretur *necat* commendari similibus elocutionibus ad amoris cruciatus pertinentibus, ut paulo infra legimus

v. 51 *Tunc morior curis* . . . . . .
I, 9,45 *Tum miser interii stulte confisus amari*
cf. II, 6,17 *Tu miserum torques* . . . . . .

Porro II, 6,46 in cod. G recte legimus *itque reditque* pro lectione codd. AV sensu cassa II. 6,46 *tuncque*, quae procul dubio profecta est ex confusione vocis $\pi$ (= *it*) et compendii $\pi\tau$ (= *tunc*). De formula autem solemni *itque reditque* cf. Dissen. comment. p. 311, Forbiger. ad Vergil. Aen. IV, 438. —

Sed talibus in locis, quibus codicis G scripturas praeferendas esse codd. AV lectionibus per manifestam neglegentiam depravatis primo quasi adspectu eluceat (cf. praeterea I, 3,25; I, 4,29; I, 8,1; I, 9,36; I, 10,21; II, 1,36; 4,44 etc.) non est, quod diutius commoremur. Itaque ad eas progrediamur discrepantias examinandas, de quibus ut aliorum virorum doctorum, ita Baehrensii et Rossbergii fluctuant sententiae atque vacillant, velut

I, 2,21 G *Illa viro coram vultus conferre loquaces*
AV ,, ,, ,, *nutus* ,, ,, I, 2,21

ubi omnes superiores editores *nutus* scripserunt; *vultus* autem recte sese habere Baehrensius bene iudicat[3]) et contra Rossbergium defendit.[4]) Ac primum quidem epitheton *loquaces* multo melius quadrare ad *vultus* quam ad *nutus* unusquisque sentit. Deinde *vultus loquaces* confirmatur Ovidii loco simillimo

Amor. I, 4,17 *Me specta nutusque meos vultumque loquacem*,

cui exemplo Baehrensius hoc adiecit Tibullianum II, 6,43 . . *oculos loquaces*; cf. praeterea I, 6,1 . . *blandos vultus* et Prop. IV, 7,25 *Tecta superciliis si quando verba remittis.*

Nunc autem Rossbergius contendit,[5]) quo nil potest esse argutius, consensum, qui est inter Ovidianum locum et hunc Tibullianum, non inde suam habere explicationem, quod Ovidius Tibullum imitatus sit, sed quod corrector quidam Tibulli textum accomodaverit Ovidiano.

---

[1]) ad Prop. III, 15,12 (edit. a. 1816). Ipse olim putabam legendum esse: *Lena nocet — miserum! — Phryne* (cf. Verg. Aen. VI, 21.)
[2]) comment. p. 310 et 311.
[3]) proleg. p. 17.
[4]) annal. philol. a. 1879, p. 474.
[5]) annal. philol. a. 1879. p. 75.

Sed primum, quoniam constat saepissime Ovidium Tibullianos expressisse locos,[1]) cur tandem hunc locum excipiamus? Deinde recte contra Rossbergium monet Baehrensius vocem *nutum* per se facilem intellectu nullam librario praebere potuisse ansam corrigendi. Attamen Baehrensius in eundem, quem Rossbergio opproprio dat, errorem ipse incidit, cum dicit[2]) *nutus* per interpolationem in expeditius esse refictum. Nam, cur contra in voce *vultus* offenderit librarius aut quid expediverit mutando, ego quidem non perspicio. Atque res simplicissima esse mihi videtur. Nam si palaeographicam rem spectamus, *nutus* tam prope abest a *vultus*, ut haec vox cum illa facillime per librarium potuerit confundi.

Porro Baehrensius et Rossbergius inter se discordant de differentia codicum, quam legimus

I, 1,29 I, 1,29 G *Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem*
AV „ „ „ „ „ *bidentes*

Priusquam discernimus, pluralis numerus an singularis recte sese habeat, quaerendum est, quaenam vis insit vocabulo, de quo agitur. Atque *bidentes* hoc loco idem significare quod *oves*[3]) duas ob causas statui requit. Namque primum paulo infra uno interposito versu molestissime eiusdem pecoris iterum fieret commemoratio: *non agnamve sinu pigeat . . . referre domum.* Deinde autem verba *tenuisse bidentes*, quae non video quid aliud possint significare ac *possidere oves*, sententiarum nexui repugnare mihi videntur. Postquam enim disticho antecedente (vv. 27.28) de vitae suae inertia atque iucunditate, quam in otio agat, verba fecit poeta, quod nunc pergit *nec tamen interdum pudeat* nonnisi ad actionem quandam atque operam manifestum est eum spectare, cui sensui „tenuisse oves“ minime, optime „tenuisse ligones“ convenit, ita ut hic efficiatur sensus planissimus: nec tamen interdum pudeat me agrum colere aut ligone glaebas incidentem aut bobus arantem. Iam vero qui pluralem numerum *bidentes* volunt praeferri, censent in voce *interdum* repetitionis abditam latere significationem.[4]) Sed primum recte adnotat Dissenius:[5]) „ubi interdum tenet, unum bidentem tenet poeta, non plures simul.“ Deinde autem quoniam *interdum pudeat* non solum ad *tenuisse bidentes*, sed etiam ad *stimulo increpuisse boves* referendum esse consentaneum est, cur poeta, si repetitionem voluit exprimere, scripsit *stimulo* ac non potius *stimulis*? Immo, ipsum hoc *stimulo* flagitat, ut etiam *bidentem* legamus, ita ut haec duo instrumenta rustica hoc loco inter se respondeant. Iam cf. haec exempla

Ovid. Amor. I, 13, 11.12 *Prima bidente vides oneratos arva colentes*
*Prima vocas tardos sub iuga panda boves.*
Tibull. I, 10,49 *Pace bidens vomerque nitent*[6])
II, 3,5.6 . . . . . *quam fortiter illic*
*Versarem valido pingue bidente solum.*

Corruptela autem *bidentes* ex sequentis versus homoioteleuto *boves* orta esse videtur (cf. paneg. Messal. v. 206, ubi *figuram* (G) ex antecedentis versus fine *mortem* profecta est.

Porro optimam cod. G exhibet scripturam

Lygd. 5,11 Lygd. 5,11 G *Nec nos sacrilegos templis ammovimus ignes*
AV „ „ *sacrilegis* „ „ „

---

[1]) cf. Zingerle „Ovidius und sein Verhältnis zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern“ I, p. 54 sqq.

[2]) prol. p. 17.

[3]) cf. Richterum in Bursiani annal. a. 1873, p. 1452

[4]) cf. Rossbergium l. l. p. 75.

[5]) in adnotatione critica (edit. p. 2).

[6]) cf. infra p. **23.**

Atque pro manifesta corruptela *sacrilegis* Lachmannus Dissenius Muellerus *sacrilegi*, quae est lectio deteriorum codicum vel potius Italorum coniectura, in textum receperunt. Sed non est, cur a lectione cod. G recedamus, quae est maioris auctoritatis. Ipsam ad elocutionem *sacrilegi ignes* illustrandam iam Gebhardus comparavit locum simillimum apud Quintilianum declam. XI, 7 extantem: *Si mehercule post hanc, inimice, vocem templa monstrasses, sacrilegum continuo flagrasset incendium . . .*
cf. praeterea Ovid. Fast. VI, 439 *Flagrabant sancti sceleratis ignibus ignes*
vel Cic. Catil. III, 22 . . . . *sed etiam deorum templis atque delubris sunt funestos ac nefarios ignes inferre conati.* — Deinde autem *sacrilegos* optime sese habere ex eo patet, quod aptissime atque maxima sensus concinnitate inter se respondent *sacrilegos ignes*, *facta nefanda* (v. 12), *impia ora* (v. 14). Tertium denique argumentum inde possumus repetere, quod adamant poetae elegiaci substantivo in fine versus posito adiectivum in caesura semiquinaria conlocare (cf. huius carminis vv. 2, 3, 8, 13, 14, 16, 20, 22, 25, 27, 29, 30). Corruptela autem *sacrilegis* ita orta esse mihi videtur, ut librarius per socordiam adiectivum accomodaret substantivo proxime sequenti *templis*.

Itemque I, 9,31 I, 9,31

G *Tunc mihi iurabas, nullo te divitis auri Pondere . . .*
AV „ „ „ „ *tibi* „ „ „ . . .

cod. G pro corrupta scriptura *tibi* recte exhibet *te*. Hoc quoque loco apud Lachmannum Dissenium Muellerum scripturam invenimus, quae Italorum coniecturarum in numero haberi debet. Hac autem de natura scripturae *nullius* ut taceam, ipsum per se *nullo te* praeferendum est. Quamquam enim pronomen *te*, ut monet Dissenius,[1]) non opus est, quoniam in constructione, quem vocant accusativum cum infinitivo, saepenumero *me te se* Graecorum more omittuntur (cf. e. g. Tib. II, 6,13 *iuravi quotiens rediturum ad limina nunquam*), tamen non necesse est pronomen abesse (cf. Tib. II, 5,104 *et se iurabit mente fuisse mala*, et Lygd. 1,25). Iam autem, si scribimus *nullius divitis auri pondere* satis ineleganter voci *auri* duo adnectuntur attributa, cum *pondere* nullum secum habeat atque verbis, quae ab eo dependent, tam nudum et solidarium postpositum vel maxime claudicet. Praeterea, quod ad sensum attinet, multo efficacius vocem *nullus*, quippe quae praecipue prematur, cum *pondere* coniungi — ita ut sensus sit: ne maximo quidem pondere — et per se apertum est et optime illustratur hoc Lygdami loco

3,11 *Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri*

(cf. Horat. Sat. I, 41 *Quid iuvat immensum te argenti pondus et auri . . . Deponere*
Ovid. Heroid. 16,224 *Congestoque auri pondere dives ero.*)

Denique concinne inter se respondent *nullo pondere* et *non gemmis*. Itaque habemus in cod. G scripturam omnibus numeris absolutam.

Iam postquam vidimus tam multis locis, quorum numerus facile posset adaugeri, codicem G veras propagare scripturas, ne illi quidem Rossbergii[2]) sententiae adstipulabimur, qua censet eis locis, ubi in codd. AV singula vocabula omissa vel spatia vacua relicta sunt, codicem G supplementa praebere per interpolatorem excogitata. Quid enim nos cogit, ut putemus lacunas illas iam in communi archetypo (O) extitisse, et quid vetat nos statuere in eo demum eas exortas esse exemplari, ex quo codd. AV exarati sunt, praesertim cum plerisque, quos Rossbergius affert, locis ipsis ex cod. G lectionibus causa omissionis facillime possit cognosci? Quid? si scripturae in cod. G traditae ne minimam quidem prae se ferunt interpolationis speciem? Legimus igitur

---

[1]) comment. p. 184.
[2]) l. l. p. 76.

II, 4,10 II, 4,10 in G *Naufraga quam* (sc. cautem) *vasti tunderet unda maris*
V „ „ *vitrei* „ „ „

A adiectivum prorsus omittit. Atque *vastus* non modo omnino usitatissimum est maris epitheton (cf. e. g. I, 7,19; Lygd. 4,85), sed etiam hoc ipso loco, ubi de turbato dicitur mari solitariam cautem expositam circumstrepente, aptissime adhibitum, *vitreus* a Rossbergio inepte praelatum hoc a sententiarum nexu alienissimum esse non est quod moneam.

paneg. 40 Deinde quod paneg. *40* et fragm. Cuiacianum et cod. G tradunt *hic aut hic tibi*, AV *hic aut tibi* minime cum Rossbergio statuemus cod. G lectionem per interpolatorem recte suppletam esse, sed nobis ille consensus vel gravissimo erit documento cod. G archetypi ipsius rectam servare scripturam. Idem iudicandum est de ceteris locis; nam etiam de Sulp. et Cerinth. am. 4,16 nil est, cur cod. G lectionem probabilissimam *nos* reiciamus et cum Rossbergio scribamus *hanc*. Communis autem archetypi lectiones cod. G his locis praebere satis magna cum verisimilitudine ex eo potest demonstrari, quod omissiones codd. AV, quomodo ex illis ortae sint, facile possumus cognoscere. Sic paneg. 40 *hic aut tibi* per solemnem librariorum errorem, quae haplographia dicitur, profectum est ex *hic aut hic tibi*. Deinde paneg. 200, ubi in AV *nec* omittitur, facile oculi aberrare potuerunt a *n(ec)* ad vocis insequentis primam litteram similem *m(allem)*. Deinde, quomodo I, 9,69 *ista* (AV) ortum sit ex *ista haec* (G), simplici ratione explicatur, si cum Lachmanno[1]) statuimus, olim hoc loco scriptum fuisse *istaec*. Restant igitur duo loci, scil. II, 6,40 (*vasti*) et de Sulp. et Cer. am. 4,16 (*nos*), quibus ommissionem per neglegentiam factam esse statui nequit. Hic autem ipsa traditionis natura ansam dat rei enodandae. Cum enim his locis in codd. AV spatium vacuum extet, non sine aliqua verisimilitudinis specie ponere poterimus librarios id, quod in exemplari suo scriptum fuerit, fortasse propter litterarum ductus evanidos vel nescioquam ob aliam causam legere nequisse ideoque vocabula omisisse. *Vitrei* autem illud librarius cod. V seu legere sibi videbatur, seu ex alio libro desumpsit.

de Sulp. et Cer. a. 4,16 — paneg. 40 — paneg. 200 — I, 9,69

Sed haec hactenus de codicis G praestantia, qui quin ex bono deductus sit fonte, iam non poterimus dubitare. Quid ergo? Amplectemurne a Baehrensio illam de codice G prolatam sententiam cod. G nulli interpolationis suspicioni obnoxium principatum tenere? Minime! Iamque ad eam disputationis nostrae pervenimus partem, ubi, quid de codicibus AV statuendum sit, iudicium erit ferendum.

# Caput II.

## De codicum AV fide atque auctoritate.

Ac primum quidem recte dicit Rossbergius codd. AV exaratos esse per librarios indoctos atque stultos, qui, quaecunque in exemplari suo invenerint, optima fide propagaverint neque veriti sint mera verborum monstra atque portenta describere, ita ut horum codicum textus de interpolationibus non sit suspectus. Nec non concedo Rossbergio cod. G haud paucis locis interpolatum esse, ubi codd. AV rectas exhibeant scripturas. Admodum autem vituperandus est Rossbergius, quod etiam tales locos, qui per meram neglegentiam sese clament corruptos esse, vel quos cur mutaverit librarius ne intellegi quidem possit, pro interpolatis habet,

[1]) ad Lucret. p. 267.

perinde ac si cod. G unus omnium careat mendis, qualia oriri solent vel per calami lapsus vel similium verborum confusiones vel oculorum aberrationes vel nescioquos librariorum errores frequentissimos. Namque si discrepantias respexerimus, quales sunt

I, 4,39 *libebit* AV *licebit* G
I, 5,71 *non* „ *nam* „
I, 6,9 *ludere* „ *lędere* „
Lygd. 2,8 *nata* „ *nota* „
„ 6,7 *durum* „ *dirum* „

quibus omnibus locis cod. AV praeferendos esse ex nexu sententiarum sponte elucet, quis bene sanus talia lenissima peccata cum Rossbergio[1]) opinabitur in cod. G per interpolationem esse immixta? Deinde quod II, 1,15 legimus in

AV *Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras*
G „ „ „ „ „ *ignis* „ „

vel I, 1,45 AV *Quam iuvat immites ventos audire cubantem*
G „ „ *īmunes* „ „ „

quid tandem correctorem omnino voluisse Rossbergius sibi excogitavit, cum censet[2]) has cod. G lectiones interpolatas esse? Aut quo ductum putemus interpolatorem I, 4,6, ubi legimus in

AV *Nudus et aestivi tempora sicca Canis*

*aestivi* immutasse in *aestivae?* (cf. Lygd. 5,2 *sub aestivum . . . Canem*). Terminationem autem *ae* per librarii socordiam irrepsisse luce est clarius, si versus antecedentis comparamus initium simillimum *nudus et hibernae.*

Sed omittamus nunc tales locos, ubi codicis G et corruptelae ipsae et earum origo in promptu sunt, iamque ad eos transeamus tractandos, quibus Baehrensius falsus esse mihi videtur, quod codicis G lectiones in textum recepit, Rossbergius, quod iterum iterumque cod. G interpolationis habet suspectum, velut

II, 1,76 AV *Ad iuvenem tenebris sola puella venit*
G „ „ *in tenebris* „ „ „

Quo loco *in tenebris* Tibulli consuetudini prorsus repugnare exempla ab interpretibus adlata Baehrensium debebant docere cf. I, 2,25 *tenebris . . . vagor*, I, 6,59 *Haec mihi te adducit tenebris*, I, 10,50 autem, ubi legimus *at tristia duri Militis in tenebris occupat arma situs* non de tempore, sed de loco agitur. Iam inepte statuit Rossbergius[3]) praepositione *in* inserta interpolatorem lacunam, quam hic extare putaverit, supplevisse. Nam unusquisque videt vocem *in* profectam esse ex terminatione vocabuli antecedentis *iuvenem.*

Corruptelam non dissimilem habemus

I, 2,76 AV *Mollis et inculta sit mihi somnus humo.* I, 2,76
G „ *in* „ „ „ „ „

Baehrensius cod. G sequitur. In eis sane exemplis, quae legimus apud Heynium,[4]) *in* modo ponitur, modo abest, ut

Prop. I, 19,28 *Et datur inculto tramite dura quies.*
Ovid. Art. am. II, 238 *Frigidus et nuda saepe iacebis humo.*
Prop. IV, 14,16 *Et caput in dura ponere iussit humo.*
Ovid. Metam. 14,709 . . . . . *posuitque in limine duro Molle latus.*

---

[1]) cf. l. l. p 75.
[2]) l. l. p. 75 et 77.
[3]) p. 76.
[4]) observ. p. 50.

Tamen duae res contra cod. G valent lectionem. Primum, ipse Tibullus, ubicunque requiescendi locum commemorat, praepositionem *in* omittit solumque ponit ablativum loci, ut statim versu sequenti *recubare toro*, I, 3,26 *puro secubuisse toro*

I, 1,43.44 . . . . . *satis est requiescere lecto*
*Si licet et solito membra levare toro.*

Deinde concursus dissonarum syllabarum *mollis in inculta* tam graviter offendit aures, ut etiam hanc ob causam codd. AV praeferamus scripturam. Ipsa autem corruptela orta videtur per dittographiam vocabuli *in*.

Paucis versibus post (v. 82)

I, 2,82 A *Et mea nunc poenas impia lingua luit?*
GV „ „ *num* „ „ „ „

Baehrensius *num* in textum recepit, quamquam falsam esse hanc scripturam quasi in oculos incurrit. Si enim versus 81—88 quattuor disticha complectentes accuratius contemplatus eris, perspicua intelleges eos conformatos esse concinnitate, ita ut, seu sensum seu externam structuram spectamus, in bina discedant disticha. Cum enim omnes poetae irritae sint preces et fores puellae clausae maneant, duobus prioribus distichis (vv. 81—84) a se quaerit, num deorum iram scelere commisso in se converterit, posterioribus (vv. 85—88) se paratum esse fatetur, si meruerit, vel durissimos subire ritus piacularios. Cui sententiae divisioni bipartitae elegantissime convenit versuum externa species, quippe cum priorum distichorum in initio *num*, posteriorum *non ego* nervose ponantur atque singuli pentametri hexametris singulis coniunctione *et* (vel *que*) adnectantur. Quibus praemissis luce est clarius v. 82 *num* ita conlocatum perfectam illam concinnitatem insigniter turbare. Praeterea autem ipse sensus requirit, ut *num* reiciamus, recipiamus *nunc*. Namque ipsam praesentem suam condicionem miseram quaerit poeta, num Veneris numine *olim* laeso meruerit (*violavi . . . nunc luit?*) Ac Baehrensius quidem hoc loco cod. G non sequi ideo noluisse videtur, quia alterius familiae cod. V cum illo consentit. Sed hic consensus nullius est momenti, quippe quod *nunc* et *num* tam frequenter inter se confundantur, ut mero casui ille sit tribuendus.

Lygd. 2,27 Porro *Lygd. 2,27*

AV *Sed tristem mortis demonstret littera causam*
G „ „ „ „ „ *casum*

Baehrensius iniuria secutus est cod. G, cuius lectio *casum* iam Huschkio praeferenda videbatur neganti „elegantissimum Tibullum“ duobus versibus interiectis (cf. v. 30) bis posuisse eandem vocem eundem exprimentem sensum. Sed primum repetitionem eiusdem vocabuli paucis interpositis versibus elegantiae poetae nil officere his demonstretur exemplis Tib. I, 1,17.20 *custos . . . custodes;* 39.42 *antiquus . . . antiquo;* I, 8,10.13 *mutatas . . . mutantur;* I, 10,24.27 *purum . . . pura*. Deinde autem hoc ipso loco repetitio idcirco haudquaquam mira est, quod, postquam v. 27

*Sed tristem mortis demonstret littera causam*

in universum dixit poeta causam mortis titulo lapidis se velle declarari, vv. 29.30 ipsos versus indicit monumento sepulcrali incidendos, quibus illa causa accuratius notetur. Itaque tantum abest, ut pleonasmum hoc loco habeamus, ut contra alterum *causa* altero fulciatur. Atque horum quoque vocabulorum (*causam casum*) tam frequens est variatio in codicibus, ut minime necesse sit cum Rossbergio[1]) interpolationem statuamus.

---

[1]) l. l. p. 76.

Idem iudicandum mihi videtur de differentia, quae extat

I, 1,48 AV *Securum somnos igne iuvante sequi* I, 1,48

G „ „ *imbre* „ „

Atque concedo Rossbergio[1]) *igne* praeferendum esse, quamquam nil valet, quod solum dicit igne optimum efficere sensum, *imbre* autem nonnisi contorte posse explicari. Ac Muretus[2]) quidem, etsi utrumque censet ferri posse, quia et *imber* et *ignis* hieme somnum concilient, tamen ad lectionem *imbre* praeferendam propensus est hos locos laudans: Sophoclis, quem legimus apud Ciceronem ad Attic. II, 7,4: καὶν ὑπὸ στέγῃ

πυκνῆς ἀκοῦειν ψακάδος εὐδούσῃ ῥεμί,

Tibulli I, 2,80, quem Baehrensius quoque excitat ad superfluam suam coniecturam stabiliendam *sonante* pro *iuvante:* *nec stragula picta soporem*

*nec sonitus placidae ducere possit aquae.*

Deinde Broukhusium[3]) in adnotatione ad Propert. III, 3,58 (p. 267) pollicitum bonis rationibus se ostensurum esse, quam *igne* non sit verum, Heynius[4]) testatur docuisse in editione Tibulliana *igne* alienum esse ab hoc loco; cui sententiae quamquam ipse Heynius adstipulatur, tamen adicit: „et sane ille (ignis) calore suo membra solvit et somnum conciliat." Defenditur *igne* a Grutero[5]) dicente: „otiose hic *imbre iuvante* ponatur, cum illud *aquas*, quod proxime antecedit, *imbrem* facile inferat nec minus ignis sopiat quam imber." Denique Dissenius[6]) *imbre* praefert „cum voluptas, quod tutus sis ab imbre, augeat somni iucunditatem." Vides igitur admodum incertas vacillare interpretum sententias, quamquam fere omnes propensi sunt ad lectionem *imbre* agnoscendam. Ac mihi quidem *igne* vera videtur scriptura. Sophocleum illud vix est quod respiciamus. Plus valet Tibullianum exemplum supra adscriptum, quod primo obtutu sat grave adferre videtur documentum ad lectionem *imbre* comprobandam. Sed ut sonitum *placidae* aquae (scil. silanorum, ut Dissenius interpretatur[7]) somno conciliando aptissimum esse unusquisque optime tenebit, ita ego quidem non intellego, quomodo *gelidae aquae hiberno austro fusae* somno ducendo quicquam adiumenti possint adferre. Quid vero dici potest aptius quam *ignem* „calore suo membra solventem" allicere somnum? Deinde tempus hiemale vocabulis *gelidas hibernus* tam graviter effertur, ut *igne* optimam et paene necessariam exprimat oppositionem inter gelidas illas tempestates foris saevientes et ignem intus in foco lucentem et calefacientem (cf. v. 6). Denique *securum* voce *igne* praeclare illustratur, quippe cum ipse ignis securum reddat a gelidis illis hibernisque tempestatibus. *Imbre* autem ex coniectura librarii profectum esse non est, quod cum Rossbergio statuamus, quia, ut recte dicit Broukhusius, *imbre*(s) et *igne*(s) saepe in codicibus confunduntur.

Porro, quamvis recte iudicet Rossbergius lectiones quasdam codici G immixtas per manum recentiorem scripturam antiquiorem radendo expellentem nullius esse ad textum iudicandum momenti, tamen non video, cur hoc ipsum primum attulerit,[8]) ut sententiam suam de cod. G. pretio prolatam comprobaret; namque codicis alicuius auctoritas solis ex primariae manus lectionibus potest existimari. Neque quisquam infitiabitur per manum illam recentiorem

---

[1]) p. 75.
[2]) scholia in Tibullum cf. op. II, p. 878 ed. Ruhnken.
[3]) Broukhusii editio Tibulliana mihi praesto non fuit.
[4]) observ. p. 21.
[5]) diatrib. Stat. p. 435.
[6]) comment. p. 21.
[7]) ad. Tib. I, 2,81, p. 55.
[8]) p. 74.

I, 2,23 huc illuc textum recte restitutum esse, velut I, 2,23 *docet* pro archetypi lectione *decet,* quod quidem Baehrensius censet posse retineri, si vv. 29 et 30 suo loco alienos post v. 22 transposuerimus. Quam haec perversa sit sententia, liquido adparebit, si sententiarum nexum accuratius respexerimus. Poeta enim, qui versatur in verbis illustrandis *Fortes adiuvat ipsa Venus* ea progreditur via argumentandi, ut primum (vv. 17—22) alteram illius sententiae partem explanet *adiuvat ipsa Venus;* quem ad finem pronomine *illa* versuum 17, 19, 20, 21 in initio posito ipsius Veneris personam maxima cum via atque gravitate extollit. Deinde postquam omnino de Venere ipsa amatoribus favente verba fecit, inde a versu 23 transit ad alteram illius sententiae partem *fortes adiuvat ipsa Venus,* non omnes, solos fortes, *quos nec inertia tardat* e. q. s., qui transcursus aptissime fit verbis *nec docet hoc omnes* aperte respicientibus ad v. 19 initium *illa docet.* Hunc autem sensus nexum, quem vides planissimum esse atque artissimum, versibus 29.30 interiectis ultro adparet foede turbari atque deleri. Quid autem statuendum sit de Baehrensii sententia, qua putat vv. 29.30 suo loco alienos esse videas velim infra p. 34 sub No. IV. Nec minus recte — ut etiam hoc in transcursu moneam — I, 8,17 haec altera codicis G manus I, 8,17 *num te pallentibus herbis . . devovit . .anus* correxit in *pollentibus,* quoniam hoc loco sola de vi et potentia magicarum rerum agitur[1])

cf. Ovid. Fast. II, 425 . . . . . *non tu pollentibus herbis*
*Nec prece nec magico carmine mater eris.*
Metam. IV, 49; Verg. Aen. VII, 19; XII, 402 *potentibus herbis*

Nunc vero ad eos transeamus locos, ubi codicem Grevera interpolatum esse certis demonstrari potest argumentis. Atque initium capiam a loco quodam aptissimo et Rossbergii et Baehrensii rationem ad illustrandam atque notandam, illius quidem, qui, ut cod. G statum corruptum evincat, omnia moliatur atque ad omnia descendat, neglegat tales locos, ubi interpolatio evidenter potest comprobari; huius, qui saepenumero codicum AV integras scripturas interpo- I, 2,52 latas arbitratus temere sequatur cod. G. Legimus igitur I, 2,51.52

51 *Cum libet haec tristi depellit nubila caelo*
52 AV *Cum libet aestivo convocat orbe nives*
G „ „ *aestivas* „ *ore* „

Quam differentiam perspicuum est per librariorum neglegentiam ortam esse non posse. Quaeritur, utra familia codicum hoc loco interpolationi obnoxia sit habenda. Atque iam dudum interpretes locum quendam Ovidii luculentissimum attulerunt, ubi item dicitur de ingenti sagae vi et potentia Amor. I, 8,9.10 *Cum voluit toto glomerantur nubila caelo*
*Cum voluit puro fulget in orbe dies.*
Quo loco quoniam Ovidius Tibullum manifesto imitatur, scriptura *aestivo-orbe* stabilitur; *orbis* autem idem est quod *caelum,* velut paneg. Messal. 159
*Seu propior terris aestivum fertur in orbem.*
Sed accedunt alia, quibus codd. AV scriptura vel maxime commendetur. Primum enim *ore* illud tam superflue verbo *convocat* adpositum est, ut facillime eo possimus carere. Deinde autem *aestivo-orbe* paene necessario censenda erit genuina scriptura, si pentametrum cum hexametro composuerimus. Namque apertae oppositionis, quae extat inter duos versus, acuendae atque premendae causa non modo versum versui, sed etiam verba verbis nervosa concinnitate respondere voluit poeta

---

[1]) cf. Dissen. comment. p. 170.

*Cum libet haec tristi depellit nubila caelo*
*Cum libet aestivo convocat orbe nives.*

Perperam autem Vossius[1]) in eo haesit, quod poeta sagam induceret *aestivo* tempore *nives* convocantem. Sed in hoc ipso, opinor, poetae cognoscitur consilium, qui ad ingentem vim magicam describendam talia portentosa sagam fingat perficientem. — Itaque non codices AV hoc loco cum Baehrensio[2]) interpolatos iudicabimus, sed potius cod. G. Quomodo autem orta sit interpolatio, rectissime explicat Heynius.[3]) Postquam enim *orbe* in *ore* abiit — quae vocabula persaepe confunduntur in codicibus cf. e. g. paneg. 71 — interpolator, ut sensus procederet, adiectivum *aestivo* adaptavit voci *nives*.

Eadem ratione nata videtur cod. G interpolatio, quae extat I, 7,54, ubi graviter discor- I, 7,54
dant codd.

AV *Liba et Mopsopio dulcia mella*[4]) *feram*
G *Libem* „ „ „ *mella favo.*

Hoc quoque loco Baehrensius cod. G secutus est, quamquam exempla ab interpretibus adlata luculenter docent codd. AV rectum exhibere textum. Cum uterque textus aptum efficiat sensum, differentia discernenda erit ex genere dicendi talibus in sacrificiis solemni. Iam ipse Tibullus loco huic simillimo in eadem re versatur describenda, scilicet II, 2, 3—8, ubi hos versus vel aliquantum vel prorsus similes invenimus:

II, 2,3 *Urantur pia tura focis* = I, 7,53 *tibi dem turis honores*
II, 2,6 *Cui decorent sanctas mollia serta comas* = I, 7,52 *Et capite et collo mollia serta gerat*
II, 2,7 *Illius puro destillent tempora nardo* = I, 7,51 *Illius e nitido stillent ungenta capillo*
II, 2,8 *Atque satur libo sit madeatque mero* = I, 7,54 *Liba . . . . . feram.*
I, 7,50 *multo tempora funde mero*

cf. de Sulp. et Cer. am. 5,14 *Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero.* Deinde *liba ferre* vel *facere* constans est elocutio ritualis; cf. Tib. I, 10,23 *liba ipse ferebat,* Ovid. Fast. II, 6,44; III, 735; IV, 776. Hoc autem loco vocabulum *mella* in archetypo ex *melle* corruptum interpolatorem incitasse mihi videtur, ut reliquum textum voci *mella* accomodaret.

I, 10,49 exhibent AV *Pace nitens vomer viderit* I, 10,49
G „ *bidens vomerque vigent.*

Quae AV praebent, sensu sunt cassa; in cod. G autem omnia recte sese habent excepto verbo *vigent*, quamquam omnes editores nec non Baehrensius *vigent* in textum receperunt. Si enim Ovidianum respicimus locum, qui extat Fast. IV, 927.928

*Sarcula nunc durusque bidens et vomer adiuncus*
*Ruris opes niteant: inquinet arma situs*

cum Guieto non poterimus non consentire, qui pro *vigent* scripsit *nitent.* Cuius verbi accedit quod vestigium deprehendimus in codd. AV *nitens.* Aliud argumentum obiter tetigit Rossbergius.[5]) cum dicit *nitent* optime oppositum esse verbis *in tenebris occupat arma situs.* Et verum sane est armis in tenebris iacentibus atque robigine ferrugineque inquinatis vix quicquam opponi posse aptius quam pacis instrumenta nitentia. Sed Vossii[6]) interpretatio nequaquam

---

[1]) Krit. Beiträge zu Tibull p. 160.
[2]) proleg. p. 17.
[3]) observ. p. 43.
[4]) mell*a* leniter depravatum ex melle.
[5]) p. 77.
[6]) l. l. p. 270.

silentio praetereunda erat, qui ideo *vigent* bene quadrare contendit, quod inter se opponantur *vigent* et *situs*, vigor ususque rusticorum instrumentorum et armorum inertia

cf. Ovid. Fast. V, 279 *Cetera luxuriae nondum instrumenta vigebant.*

Nihilo tamen setius *nitent* Ovidiano illo exemplo confirmatum praeferendum mihi videtur, quia haec quoque oppositio verbo *nitent* optime exprimitur. Quid enim? Nonne nitor instrumentorum rusticorum gravissimus est testis vel maximo illa esse in usu? Exemplo Qvidiano supra laudato hoc addo efficacissimum Amor. I, 8,51.52 *Aera nitent usu . . . . . Canescunt turpi tecta relicta situ.*

Itaque *nitent,* quippe quod non modo oppositionem contineat, quae est instrumentorum rusticorum nitorem inter et amorum squalorem, sed etiam significationem verbi *vigent* simul complectens usum et vigorem exprimat oppositos inertiae armorum, et ob haec interna argumenta et propter externa illa testimonia longe praeferendum est. *Vigent* autem interpolatori tribuendum erit, qui verbum suo in exemplari corruptum pro virili parte periclitatus est emendare.

Quascunque igitur adhuc commemoravimus interpolationes cod. G ita sunt comparatae, quibus librarius menda exemplari suo inhaerentia proprio Marte studuerit sanare.

Alterum interpolationum genus eis deprehendimus locis, quibus interpolator, cum in verbis traditis perperam offenderet, corrigendum esse putavit.

Cuius rei luculentissimum habemus exemplum

II, 6,21 AV (*Fris.*, Par.) *Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis*
II, 6,21 G ,, ,, ,, *et* ,, ,, ,,

ubi codd. AV lectio non solum testimoniis aliorum librorum satis superque confirmatur, sed etiam unice vera est propter usum illum tritissimum, quo poetae elegiaci unum idemque vocabulum gravissimum non solum in initio versuum, sed simul etiam intra eiusdem versus fines repetunt; ut unum afferam exemplum, legimus

I, 5,61 *Pauper erit praesto . . . pauper adibit*
63 *Pauper . . . . . .*
65 *Pauper . . . . . .*

Interpolator autem, cui in v. 21 *spes* iteratum displicuisse videtur, huius vocis vice *et* inculcavit. Praeterea mirum censebis, quod anaphora, quae dicitur, vv. 23 et 24 prorsus interrumpitur, quade re videas infra p. 37 sub No. V.

I, 7,47 Porro legimus I, 7,47 in

AV *Et Tyriae vestes et dulcis tibia cantu*
G ,, ,, ,, ,, *dulci* ,, ,,

Atque utraque lectio ferri potest, et *dulci* primo obtutu videtur praeferendum, utpote quod melius ad *cantu* quam ad *tibia* hoc epitheton quadret; cf. haec similia exempla

Catull. 64,264 . . . . . *horribili stridebat tibia cantu*
Ovid. Am. 3,13,11 . . . *praesonuit sollemni tibia cantu.*

Sed ne *dulcis* quidem habet, quo offendat, ut legimus apud Horatium C. I, 17,10 et Propertium V, 4,5 *dulcis fistula,* et omnino notus est usus poetarum, quo epitheta per hypalagen, quam vocant, saepe aliis vocabulis adiunguntur atque ad quae proprie pertinent; sed hoc, ubicunque fit, suam habet explicationem. Dicit enim Virgilius Aen. VII, 483 *cervus cornibus ingens* pro *ingentibus cornibus*, quia cornua sunt causa, cur ingens dici possit cervus; Propertius I, 3,9 dicit *ebria vestigia,* cum ipsis vestigiis incertis ebrietas fiat manifesta, ibidem v. 20 *ignotis cornibus,* quia cornua effecerunt, ut non cognosceret Argus Ionem. Itaque hoc loco *tibia* dici potest *dulcis,* quia cantus tibiae iunctus causa est, cur ipsa tibia sit dulcis. Quamquam igitur, ut

vidimus, utrumque *dulci* et *dulcis* ferri potest, tamen est aliquid, unde rem disceptemus. Quaecunque enim huius enuntiationis vocem *tibia* et antecedunt et sequuntur subiecta, iis singulis singula attributa adposita sunt: *varii flores — frons redimita — lutea palla — Tyriae vestes . . . . . levis cista.* Num iam dubitabimus, quin *tibia* quoque secum habeat epitheton? Itaque *dulcis* ut exquisitior est scriptura, ita enuntiationis structurae magis convenit. *Dulci* autem idcirco ex coniectura ortum esse puto, quod consilium mutandi in propatulo est. Cum enim subtilem illum usum dicendi, de quo diximus, non satis perspiceret librarius, eum in vulgarem vertit sermonem.

Idem factum est de Sulp. et Cer. am. 2,20, ubi extat in — de Sulp. et Cer. a. 2,20

AVF *Caste puer, casta retia tange manu.*
G ,, ,, ,, ,, *tende* ,,

Atque primum *tange* confirmatur fragm. Cuiaciani testimonio. Deinde hoc quoque loco codd. AV lectio pulcrior est atque exquisitior. Rectissime enim dicit Vossius:[1]) „tange stimmt zu dem feierlichen Tone, den die Schalkhafte annimmt: Der Jüngling soll die der keuschen Diana heiligen Netze nicht anders als mit keuscher Hand anrühren. Die Glosse ist das gemeine *tende*. Ac ne Heynius[2]) quidem, qui in *tange* offendit, „quia retia nulla res sacra sint, quam castis et puris manibus attingere fas sit," negare potest habere *tangere,* quod placeat, dicens: „cum castum esse velit puerum, dicere potuit: more ipsius deae castus maneas; et pro hoc: castus tange tracta retia." Hanc autem voci *tangunt* infixam vim subtilissimam non perspiciens interpolator vulgarem illam elocutionem tritissimam *retia tendere*[3]) supposuit.[4])

Porro recte iudicat Rossbergius[5]) de discrepantia, quae extat II, 3,8 — II, 3,8

AV *Dum subigunt steriles arva serenda boves*
G ,, ,, ,, ,, *colenda* ,,

ubi *serenda* eam ob causam censet praeferendum, quia latius pateat et id ipsum significet, quo labor intendat. *Colere arva* est elocutio vulgaris ab interpolatore profecta (cf. Tib. I, 10,45; I, 5,21). In universum igitur monendum est, quoniam et hoc et priore loco altera lectio ex altera vix per neglegentiam orta esse potest, multo facilius posse intellegi, quomodo quis pro *tange tende,* pro *serenda colenda* scripserit, quam *tange* et *serenda* pro *tende* et *colenda.*

Dehinc progredimur ad discrepantiam examinandam, quae extat

I, 4,33 AV Fris. *Vidi iam iuvenem . . . . .* — I, 4,33
G *Vidi ego iam* ,,

Atque consensus testimoniorum codd. AV et excerpt. Frising. abunde docet *vidi iam* antiquiorem esse lectionem, nisi forte ad eam descendit quisquam opinionem, ut in utrisque libris simul *ego* per neglegentiam omissum esse censeat. Sed ut hoc permiro accidisset casu, ita facillime intellegi potest, quomodo *ego* per interpolatorem illatum est. Ut enim taceam versus I, 2,91.92 his simillimos

*Vidi ego, qui iuvenum miseros lusisset amores*
*Post Veneris vinclis abdere colla senem*

librarii seu animo seu oculis fortasse obversatos esse, *vidi ego* in initio versus positum tam est tritus usus dicendi atque paene ad formulam redactus, ut *ego* hoc loco ad supplendum facillime

---

[1]) l. l. p. 397.
[2]) observ. p. 376.
[3]) exempla sunt sexcenta cf. Ovid. Heroid. 5,19; 19,46; Amor. I, 8,69; Art. am. I, 45; Remed. 202; Metam. IV, 512; VII, 701; VIII, 331 etc.
[4]) Eadem ratione ortum videtur Prop. IV, 7,37 *tendisti retia* pro *nexisti* cf. Lachmannum.
[5]) p. 76.

corrector potuerit excitari; ex sexcentis, quae extant, exemplis haec attulisse sufficiat: Propert. I, 14,15; V, 5,59.65; V, 2,53 (cf. V, 1,89 *dixi ego*); Ovid. Am. II, 2,47; II, 12,25; III, 4,13, Art. am. III, 487; Remed. 101; Trist. V, 8,11. Hac autem ex constanti consuetudine dicendi nonne patere videtur Tibullum ipsum *vidi ego* scripsisse? non igitur offensioni esse debet, quod in ea lectione, quam antiquiorem esse iudicavimus, *ego* illud deest? Quam ad rem enucleandam versus 33 et 34 oportet accuratius percenseamus.

De versibus I, 4,33.34

Atque iam dudum vocabulum *iam* viris doctis scrupulum iniecit.[1]) Vulpio enim *iam* cum *iuvenem* coniungenti et interpretanti *antea, modo iuvenem* recte contradicit Wunderlichius *iam iuvenem* non nisi appositionis loco dici posse; latinum esse: vidi Caesarem iam iuvenem, non vero: vidi iam iuvenem; deinde autem *iam* pro *antea, modo* usurpatum esse exemplis non posse demonstrari. *Iam* autem cum *vidi* coniunctum non perspicio, quem aptum huic loco exhibeat sensum, et recte dicit Ritschelius[2]) *iam* intolerabiliter esse languidum. Bene sane res sese haberet, si cum Ritschelio scriberetur *olim*, quamquam haud ita facile possit explicari, quomodo *olim* in *iam* abierit. Porro in enuntiatione *premeret cum serior aetas* obiectum desideratur, quo omisso haec verba, si grammaticam rem spectamus, non habent, quo referantur; itaque Heynius coniecturam quandam laudat *premeret quem*. Sic autem si scribamus, recte dicit Wunderlichius modus verbi *premeret* non esse unde pendeat. Verba autem *urgere, premere, instare* omisso casu, quem regunt, exquisite poni nescio, unde Wunderlichius habeat, quoniam neque ipse huius usus attulit exempla neque mihi talia contigit invenire. Iam, quod ad sensum attinet, audiamus Dissenium[3]) interpretantem: „iuvenem h. l. intelleges in fine iuventutis constitutum, ut docent adiecta verba: *premeret cum serior aetas* h. e. instaret. Pertinet autem ex usu Romano, ut constat, iuniorum aetas usque ad sexagesimum sextum annum, unde serior aetas sequitur." Haec omnia optime sese haberent, dummodo Dissenius exemplis adlatis nobis persuasisset *premere* idem significare quod *instare*. Immo vero, si quem premit senectus, tum non instat, sed revera adest (cf. v. 31 *infirmae venere ubi fata senectae*), et omnino notissima est translatio, qua senectus cum onere gravi comparatur. Iam autem, quaero, qui tandem fieri potest, ut *iuvenis* is nominetur, quem *serior aetas* (i. e. senectus) premat? Perspicuum quidem est, praesertim cum versus I, 2, 91.92 in comparationem vocemus, totum distichon hunc sensum exprimere velle: Quem olim iuvenem vidi contemptorem amoris, eundem vidi senem maerentem e. q. s. Hunc autem sensum quandoquidem vv. 33 et 34 tam inconditis declarant verbis neque carent offensionibus ad sermonem pertinentibus, totum distichon profectum mihi videtur ex officina interpolatoris cuiusdam, qui hoc loco versus illos I, 2, 91.92 recordatus huic sententiarum nexui immiscuit atque accomodavit. Accedit, quod illud distichon non solum facillime potest desiderari, sed etiam sententiarum nexum turbat atque interrumpit. Priapus enim adhortans, ut aetate florenti amori indulgeatur, omnium rerum commutationem exemplis illustrat, qua in re certus ordo orationis atque progressus vix quemquam poterit effugere. Ac primum quidem exemplum (vv. 29.30) ex natura inanima, ex animalibus alterum (vv. 31.32) petit, tum (vv. 35.36) a serpente, cui crudeles divi annos exuere permiserint, aptissimum facit transitum ad formam humanam, *cui non ullam*[4]) *fata dedere moram*. Denique ipsos ad deos progreditur, Bacchum et Phoebum, quibus *solis aeterna est . . . iuventa*. Hanc autem ordinatam progressionem atque gradationem a minore factam ad maius versus illos molestissime delere in propatulo est.

---

[1]) cf. Heyne-Wunderl. observ. p. 92.
[2]) cf. opusc. III, p. 632.
[3]) comment. p. 96.
[4]) ineptam esse *non illam* lectionem (AV) bene demonstrat Vossius p. 194.

Praeterea respicias velim, quantum intersit inter horum versuum (33.34) colorem sermonis atque eorum, et qui antecedunt et qui sequuntur, quippe qui ad unum omnes flebilem spirent sonum eamque ipsam ob causam incipiant a miserabilibus exclamationibus cf. vv. 29.30.31 *quam cito* ter in initio positum, v. 31 *quam iacet*, v. 35 *crudeles divi!* At vero versibus 33.34 intermissis Priapum audimus non ipsum querentem de interitu pulcritudinis et virium, sed adhortationis causa enarrantem aliquem se vidisse maerentem. — Quibus expositis non dubito hos versus pro spuriis habere. Quod si ita est, — ut redeamus, unde defleximus — statuendum est interpolatorem *ego* post *vidi* inserentem non ipsum poetam correxisse, sed eum, qui versus illos in archetypo (O) interpolavit.

De versibus I, 6,71.72

Atque haud scio an similiter iudicandum sit de discrepantia, quam legimus I, 6,72, ubi codd. exhibent

71 *Et, si quid pecasse putat ducorque capillis*
72 AV *Immerito proprias proriorque vias*
G „ *properans* „ „

Hoc loco cod. G lectio *properans* Rossbergio correctura esse videtur vocis *proprias*, quae sensu caret. Qua de re mittamus nunc quid statuendum sit et transeamus totum ad distichon offensionibus scatens accuratius examinandum. Ac primum quidem vitiosum est *si quid peccasse putat* pro *me pecasse putat* puella; nam, ut recte dicit Dissenius,[1]) in constructione, qui vocatur accusativus cum infinitivo, subiectum tum tantum Graecorum more potest omitti, cum idem est verbi et primariae et secundariae enuntiationis; hoc igitur loco *se* posset abesse, neque vero *me* potest desiderari. Praeterea indicativus *putat* non recte sese habet, quoniam agitur de re ficta, ut adparet ex versibus, et qui antecedunt et qui sequuntur (69 *sint*, 70 *possim*, 73 *velim venerit*, 74 *optarim*). Utramque offensionem ut tollerent, Baehrensio excepto omnes editores Italorum coniecturam *puter* receperunt. Deinde ob causam iam commemoratam et indicativi, qui sequuntur, *ducorque, proripiorque* mendosi sunt, quade re editores praeter Baehrensium scripserunt cum Italis *ducarque — proripiarque*. Sed etiamnunc restat offensio. Loquitur enim poeta de legibus et ab ipso et a puella sua observandis, quibus violatis puella quidem ipsum maximis afficiat poenis, at contra ipse puellam nolit pulsare:

*laudare nec ullam*
*possim ego, quin oculos appetat illa meos,*
*Non ego te pulsare velim.*

Haec apertissima oppositio atque vicissitudo, qua utraque persona gravissime effertur atque agens inducitur, necessario flagitaret, ut scriberetur non *ducar* et *proripiar*, sed — quod Baehrensius coniecit — *ducat, proripiat* (puella), nisi his quoque coniecturis receptis inde nova exsisteret difficultas, quod obiectum *me* haudquaquam posset desiderari cf. *appetat illa meos — non ego te*. Quam artissimam inter versus 70 et 73 conexionem modo demonstratam teneas velim, ut cognoscas, quorsum spectet argumentatio. Denique inhaeret offensio elocutioni *proripiorque vias* pro *per vias*, id quod non solum rarius est genus dicendi, ut putat Dissenius, sed — quod ego sciam — nullo omnino potest comprobari exemplo idoneo; nam, quae Dissenius attulit: *ire vias, currere iter, viam, mare*, ea profecto tam similiter non sunt comparata, ut hanc elocutionem apta sint ad illustrandam. Graecis autem exemplis, qualia Wunderlichius[2]) excitat: ἄγομαι τάνδ' ἑτοίμαν ὁδόν (Sophocl. Antig. 877) vel δεινοτάτας . . . . πεμφθεὶς κελεύθους (Electr. 1163) nil comprobatur. Quam ob causam Heinsius coniecit *per rapiarque vias*, Riglerus audacissime *immerito* mutavit in *in medias*. Videmus igitur, difficultates ut tollantur, quattuor vel quinque

---

[1]) comment. p. 144.
[2]) in comment. p. 82.

opus esse coniecturis, quibus receptis ne prorsus quidem illae expediantur. At vero verba, ut tradita sunt, integra relicta nullam continent offensionem, quae ex interpolatoris fabrica profecta esse nequeat. Nam primum, quod hi versus sententiarum nexui non satisfaciunt, hoc ipsum nobis documento esse debet interpolationis; deinde bene potest intellegi, quid verba *si putat* (puella me) *peccasse, ducor* e. q. s. sibi velint, quippe quibus furor puellae accuratius et intentius describatur. Hos autem versus ad supponendos eo facilius librarius quidam potuit commoveri, quo frequentiores sunt apud poetas similes loci et simillimi,

cf. Propert. IV, 7,3 sqq. *Cur furibunda mero mensam propellis . . . ?*
. . . . . .
*Tu vero nostros audax invade capillos*
*Et mea formosis unguibus ora nota,*
*Tu minitare oculos subiecta exurere flamma*

Ovidius tota elegia (Amor. I, 7) hoc in argumento versatur tractando; cf. praeterea Amor. II, 5,45. Art. amat. II. 451, Heroid. 19,81. Plura exempla congessit Zingerlius l. l. I. p. 95.96. Quoniam igitur versus illos difficultatum plenos non modo non desideramus, sed etiam iis eiectis optime procedit oratio et artissima, de qua diximus, conexio inter versus 70 et 73 restituitur, nullus dubito hos versus spurios iudicare. Quod si ita est, diiudicari neque potest neque multum refert, utrum *properans* eius sit, qui hoc distichon in archetypo supposuit an eius, qui postea corruptam vocem *proprias* in cod. G voluit corrigere. Itaque hoc loco in medio relinquimus, utrum cod. G scriptura ipso ex archetypo fluxerit, an correctori sit tribuenda.

Iam ad eas transeamus cod. G scripturas interpolatas, quibus interpolator sententiam voluit magis efferre atque premere, velut

I, 9,33 I, 9,33 AV *Non tibi si pretium Campania terra daretur*
G „ „ „ „ „ *tota* „

Ac Baehrensius *tota* in textum recepit, id quod eam ob causam ferri nequit, quia versus, qui sequitur *Non tibi si Bachi cura Falernus ager*
prorsus esset supervacaneus atque inanis; namque et Falernus ager in Campania situs est. At vero *Campania terra* et *Falernus ager* optimam et concinnam efficiunt oppositionem, cum, ut recte explicat Dissenius,[1]) prior versus ad notam fertilitatem et frumentum Campaniae pertineat, posterior ad eius vinum, quem gignit Falernus ager celeberrimum. *Tota* autem interpolator scripsisse videtur, ut vim iuris iurandi augeret; praeterea haud scio an elocutio *Campania terra* scrupulum quendam ei iniecerit, quia terrae nomen adiectivi loco positum est, cuius usus dicendi haud ita frequentis haec inveni exempla — Vulpii, quem locos congesisse editores testantur, editio mihi praesto non fuit — *Africa terra* (vel *terra Africa*) Ennii fragm. 6 p. 46 (ed. Vahlen), Verg. Aen. IV, 37, Liv. XXIX, 23; *terra Gallia* Caes. bell. Gall. I, 30; *terra Hispania* Liv. XXXVIII, 58; *Pharsalia terra* Liv. XXXIII, 6.

I, 7,3 Porro I, 7,3, ubi exhibent AV . . . . . *Aquitanas posset qui fundere gentes*
pro *fundere* corrector cod. G *frangere* substituit, qua voce et hostium ferocia et victoris fortitudo magis efferretur. Multo certe veri est similius interpolatorem — nam per librariorum neglegentiam alterum verbum ex altero vix profectum esse potest — auxisse vocis vim quam infregisse. Similiter ac hoc loco *fundere* usurpatur e. g.

Ovid. Metam. VI, 425 *Threicius Tereus haec* (sc. agmina) *auxiliaribus armis Fuderat*
Fast. V, 578 . . . . *et fuso laetus ab hoste redit.* —

---

[1]) comment. p. 184.

Denique extant loci, quibus interpolator nescioquam ob causam pro vera lectione aliam vocem prorsus eiusdem significationis immiscuit, velut

I, 8,60 AV *Et strepitu nullo clam reservare fores* I, 8,60
G „ *sonitu* „ „ „

quo loco ne Baehrensius quidem cod. G secutus est. Atque *strepitu* his Tibullianis fulcitur locis similibus I, 6,62 *Cognoscit strepitus me veniente pedum*
I, 2,37 *Neu strepitu terrete pedum*

cf. Ovid. Met. XIV, 782 *Nec strepitum verso Saturnia cardine fecit.*

Nusquam apud Tibullum talibus in furtis amatoriis describendis *sonitus* dicitur, cum *sonus* inveniatur, cf. I, 2,20.

Deinde I, 10,46 exhibent I, 10,46

AV *Duxit araturos sub iuga curva boves*
G „ „ „ „ *panda* „

Baehrensius, quamquam olim[1]) cum Huschkio[2]) dixerat, *curva* Tibulli simplicitati magis convenire, tamen *panda* in textum recepit. Sed primum recte monet Rossbergius[3]) *pandus* nusquam legi in Tibulli carminibus eorumque asseclis, septies *curvus* (I, 4,8; II, 1,86; II, 3,7; Lygd. 5,16; paneg. Mess. 20, 94, 125). Deinde autem documentum gravissimum, quod miror interpretes effugisse, inde potest adferri, quod Ovidius, qui hunc Tibulli versum verbo tenus suum reddidit, optimis codicibus testantibus *iuga curva* dixit

ex Ponto I, 8,54 *Ducam ruricolas sub iuga curva boves,*

quamquam hoc quoque loco deteriores codd. *panda* praebent.[4]) Et hoc Ovidiano loco et Tibulliano, de quo agitur, interpolatores procul dubio talia recordati sunt exempla, quibus Ovidius *iuga panda* dixit, quod vocabulum omnino hic poeta in deliciis habet; cf. e. g. Heroid. 6,10, Amor. I, 13,12 (vid. Heinsium ad Art. am I, 318). At contra legimus *iuga curva* Fast. IV, 216.

Idem iudicium ferendum erit de differentia a Baehrensio et Rossbergio vexata, quae extat I, 2,6 I, 2,6

AV *Clauditur et dura ianua firma sera*
G „ „ „ „ *fulta* „

Ac ille quidem ad codicis G scripturam comprobandam mordicus tenet[5]) Ovidii locum, quem legimus Art. am. II, 244 *Atque erit opposita ianua fulta sera.*

Sed quid impedit, quominus statuamus Ovidium non hunc expresisse locum Tibullianum, sed eum, quem legimus I, 8,76 *Quaecunque opposita est ianua dura sera?*

Ut autem hoc ex exemplo colligi nequit Ovidium pro *fulta* scripsisse *dura*, ita ille locus, quem Baehrensius in comparationem vocavit, non sufficit ad codicis G scripturam *fulta* stabiliendam. Deinde, ut in priore Tibulliano exemplo (I, 2,6) *dura sera*, posteriore (I, 8,76) *ianua dura* dicitur, sic omnino invenitur modo *firma sera*, modo *firma ianua*;

cf. Ov. ex Pont. I, 2,22 *Portaque vix firma summovet arma sera.*
Amor. II, 12,3 *ianua firma*

Quoniam igitur nos ponere necesse non est Ovidio Tibulli locum, de quo agitur, obversatum

---

[1]) Tib. Blätter p. 62.
[2]) edit. p. 263.
[3]) p. 76.
[4]) cf. Kornii edit. p. 30.
[5]) prol. 17.

esse, deinde et *ianua firma* ab Ovidio dicitur, manifestum est illud exemplum a Baehrensio conlatum nil valere ad cod. G scripturam praeferendam. Rossbergii[1]) autem scrupulum censentis verbis *clauditur . . . fulta* pleonasmum oriri recte removet Baehrensius, cum dicit illud *clauditur* confici atque evenire ex *fulta ianua*. Cum igitur utraque apta sit lectio neque ex ipso loco rei enodandae ullum adferri possit adiumentum, ad ea confugiamus oportet, quae adhuc comperta habemus de librorum auctoritate. Atque postquam vidimus codd. AV proprias scripturas nusquam interpolationis dare suspicionem, codicem autem G sat saepe manum correctricem expertum esse, consectarium est hoc loco *firma* veram nos agnoscere lectionem.

Quascunque igitur persecuti sumus interpolationes cod. G, in diversa discedunt genera, quorum primum eas continet, quibus librarius locos in exemplari suo corruptos proprio Marte studuerit emendare, alterum, quibus verba tradita perperam intellegens suo arbitrio immutaverit, tertium, quibus ad vim sententiae augendam genuinae scripturae alienam supposuerit, quartam denique, quibus lectione tradita reiecta alteram idem significantem inculcarit.

Restat, ut de ea dicam Rossbergii sententia, qua censet[2]) ipsum archetypum codicis G et excerptorum Par. (cod. x) iam interpolatum fuisse. Quam sententiam duas ob causas amplecti non possum. Ac primum quidem, quas G et Par. communes habent lectiones, ex iis ne una quidem de interpolatione suspecta est, sed omnes fere verae sunt, una, quae nobis corrupta visa est, sc. I, 1,48 (*imbre* pro *igne*) neglegentiae potius quam interpolationi attribuenda est. Deinde ex II, 6,21, ubi exc. Par. cum codd. AV et Fris. rectam exhibent scripturam *spes*, cod. G interpolatam *et*, videmus lectionem interpolatam in illo archetypo nondum extitisse. Itaque eis interpolationibus, quas in cod. G deprehendimus, minime necesse est statuamus eum codicem iam depravatum fuisse, ad quem cod. G et exc. Par. recurrunt. Sed subsistamus nunc et totius disputationis summam faciamus.

# Caput III.

## Totius disputationis summa.

Rossbergium in universum frustra esse demonstrasse nobis videmur, quod codicem G usque adeo interpolationibus deformatum esse contendit, ut ad Tibulli textum restituendum nullius per se putandus sit momenti. Singulis autem in locis tractatis primum errat, quod eas codicis G scripturas, quas negari nequeat praeferendas esse lectionibus codd. AV, ex felicibus librarii coniecturis profectas esse. Deinde vehementissime errat, quod cod. G scripturas quasdam eximias atque censet exquisitas, quae nonnisi ipsius poetae esse possint, per interpolatorem depravatas existimat, ita ut haud pauci eorum ipsorum locorum, quibus ille vir doctus codicis G statum interpolatum studet evincere, nobis vel maximo sint documento cod. G nequaquam esse respuendum. Denique errat, quod, ubi cod. G revera corruptus est, eum de interpolatione suspectum habet, etiamsi corruptelae per lenes et solemnes librariorum errores ortae sunt et interdum ne intellegi quidem potest, quid omnino interpolator sibi voluerit. Recte autem huc illuc locos in cod. G reapse interpolatos cognovit.

---

[1]) p. 76.
[2]) p. 74.

Baehrensius falsus est, quod codicem G interpolationum expertem esse et principatum tenere iudicat, codices AV per interpolationes corruptos censet, ita ut etiam iis locis codicem G sequatur, quibus ille seu per neglegentiam corruptus est, seu interpolationis signa quasi aperta fronte prae se fert. Recte tamen multis locis codicis G scripturas in textum recepit.

Itaque hanc inter duas familias codicum intercedere rationem statuendum videtur:

*Codex G* boni quidem est stirpis multisque locis, ubi altera familia per librariorum neglegentiam corrupta est, veras servavit scripturas; sed primum sat neglegenter descriptus est; deinde haud paucis locis diversas ob causas expertus est manum interpolatricem.

*Codices AV* quamquam multo deterioris sunt originis, tamen nusquam interpolationis praebent suspicionem, sed per librarios indoctos maxima cum verecundia depicti sunt, quade re iis locis, ubi cod. G aut per neglegentiam aut per interpolationem deformatus est, rectas exhibent scripturas.

Videmus igitur suas utramque familiam bonas malasque habere lectiones neque esse, cur alteram prae altera extollamus.

Quibus expositis in diversis testimoniis diiudicandis haec ratio mihi videtur instituenda esse:

Ubicunque ita inter se dissentiunt duae codicum familiae, ut per se utriusque ferri possit scriptura, calculis ex unoquoque loco petitis discernere debemus, utra lectio genuina sit. Semper autem primaria erit quaestio, num codicis G scriptura interpolationis moveat suspicionem, cuius iis locis habemus fere indicium, ubi altera lectio ex altera per simplicem librarii errorem profecta esse nequit; tum codd. AV sequamur necesse est. Sin autem codicis G scriptura per se praeferenda est neque ullam prae se fert interpolationis speciem, haec antiquitus tradita atque recta iudicanda est.

# Appendix.

I) ad pag. 3.

I, 2,91 I, 2,91 exhibent excerpta Paris. et Vincentii Bellovacensis:

*Vidi ego qui miseros iuvenum dampnasset amores*

ceteri codd. „ „ „ *iuvenum miseros lusisset* „

Ac recte quidem Richterus[1]) exemplo conlato simillimo I, 8,71

*Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes*

*lusisset* genuinam esse lectionem contendit; sed falsus est, quod et verborum ordinem ab illis excerptis exhibitum *miseros iuvenum* eam ob causam praefert, quia adiectivum substantivo in fine versus posito ante caesuram penthemimerin conlocatum saepissime inveniatur. Quamquam enim permultis locis haec regula et a Tibullo et ab omnibus poetis elegiacis observata est, tamen, nisi alia accedunt argumenta, nil valet ad scripturam quandam comprobandam, quoniam non semper eam usurpatam esse ipso illo ex exemplo a Richtero adlato liquido adparet. Quid enim obstitit poetae, quominus scriberet: *Hic Marathus miseros quondam l. a.?* Huic exemplo adicio aliud simillime comparatum I, 9,1

*Quid mihi, si fueras miseros laesurus amores,* e. q. s.

Lygd. 5,16 Itaque nulla est causa, qua coacti excerpta illa sequamur.

Deinde Lygd. 5,16, ubi praebent

exc. Par. et Vinc. Bellov. *Nec venit tacito*[2]) *curva senecta pede*

ceteri codd. „ „ *tardo* „ „ „

Richterus[3]) *tacito* scribendum esse concludere posse sibi visus est ex Ovidiano loco, qui extat Art. am. II, 607 *Iam veniet tacito curva senecta pede.*

Praeterea addubitat, quin quisquam dixerit *tardo pede* aetatem venire. Iam autem hunc ipsius Tibulli conferas locum I, 8,48 *non tardo labitur illa* (sc. aetas) *pede* (cf. II, 2,19 *tarda senectus*), ut cognoscas hoc quoque loco non esse, cur a ceterorum codicum auctoritate recedamus.

II, 1,13 Porro II, 1,13 legitur in

exc. Par. *Casta placent superis: pura cum mente venite*

ceteris codd. „ „ „ „ *veste* „

quo loco Protzenus[4]) lectionem *mente* ideo potiorem esse censet, quod verba quae antecedunt

---

[1]) p. 62.

[2]) In Baehrensii apparatu critico per mendum typographicum extat *tacita*.

[3]) p. 64.65.

[4]) p. 53.

*casta placent superis* non ad corporis, sed ad animi habitum referenda sint. Sed nonne verba, quae sequuntur, *manibus puris* abunde docent solo de corporis habitu agi? Itaque nemo Protzeno adstipulabitur dicenti *veste* ex antecedentis elegiae versu 27 *hanc pura cum veste sequar* huc irrepsisse, sed unicuique haec ipsa verba documento erunt *veste* hoc loco recte sese habere; cf. praeterea II, 5,7, ubi ut hoc loco de sacrificio instituendo verba fiunt:

*nunc induere vestem*
*Sepositam, longas nunc bene pecte comas.*

Vox autem *castus* saepenumero de externa specie dicitur, velut Ovid. Metam. XV, 675 *casti crines.*

Videmus igitur in excerptis illis non solum totos versus (ut II, 4,29; 6,19 alios), sed etiam singulas voces in novam speciem immutata esse, ita ut horum lectionibus ceterorum codicum testimoniis non confirmatis nulla per se tribuenda sit auctoritas.

*II*) ad pag. 7.

Miror, quod Teufelius in dissertatione de Catulli Tibulli Propertii vocibus singularibus conscripta vocabulum *sonticus* neglexit. Praeterea in Propertianis vocibus singularibus enumeratis desideravi vocabulum *inferni* solo a Propertio ex scriptoribus huius aetatis substantivi instar usurpatum pro *inferi*, scil. II, 1,37; III, 23,3. — Qua data occasione de loco quodam Propertiano corrupto, ubi hoc vocabulum restituendum esse mihi videtur, verba facere liceat. Exhibent enim codd. IV, 4,13.14 Prop. IV,4,14

*Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:*
*Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.*

Ac primum quidem offensioni est, quod hoc loco dicitur de ratibus infernis, quamquam aliunde compertum non habemus veteres plures rates sibi finxisse; nimirum unus est Charon, ergo una ratis; cf. Prop. III, 21,14 *Cernat et infernae tristia vela ratis*

Lygd. 5, 23.24 *Elysios olim liceat cognoscere campos*
*Lethaeamque ratem Cimmeriosque lacus,*

quo loco Lygdamus concinnitatis causa pluralem numerum procul dubio adhibuisset, nisi per doctrinam mythologicam vetitus esset. Deinde hoc quoque loco de una rate Propertium cogitasse, dilucide adparet ex iis, quae sequuntur *Victor cum victis pariter miscebitur umbris.* Itaque cum Lachmanno non consentiemus, qui pluralem numerum defendere vult ex vv. V, 7,55 sqq. Cum enim hic, ubi animas vehendas dispertit poeta in pias et impias, haberet, cur duas sibi fingeret rates, communi illi sententiae *Nudus ad i. s. v. r.* nemo intelleget, cur peculiarem suam inseruerit doctrinam mythologicam. Praeterea non semper poetam de duabus cogitasse ratibus ex exemplo supra commemorato manifestum est. Sed accedunt aliae offensiones ex sententiarum nexu petitae. Quoniam enim anima *vehetur ad rates*, nondum videlicet ipsas ad rates pervenerit. Attamen ex versu antecedente cognoscimus iam ad *undas* pervenisse.[1]) Deinde autem quomodo anima potest vehi, priusquam ad rates venit, quibus veheretur? Expectamus igitur animam, postquam ad undas pervenit, non ad rates infernas, sed *rate ad infernos* vectum iri. Hic autem sensus restituetur omnesque, quas commemoravimus, difficultates tollentur, si scripserimus

*Nudus ad infernos, stulte, vehere rate,*
cf. Lygd. 3,9.10 *Tunc cum permenso defunctus tempore lucis*
*Nudus Lethaea cogerer ire rate*
Sil. Ital. V, 267 *Quem . . . . . .*
*Nudum Tartarea portabit navita cymba.*

[1]) cf. Hertzbergii comment. p. 271.

De coniecturis aperte falsis et Italorum *ab inferna . . rate* et Schraderi *at inferna rate* non est, quod verba faciamus.

*III*) ad pag. 10.

Huic regulae magnopere repugnat Heinsii, quam Baehrensius sibi vindicavit, coniectura
I, 1,51 ad I, 1,51 prolata

*O quantum est auri pereat pereantque smaragdi.*

Sed hoc loco pro *pereat potiusque,* quod codd. exhibent, cum Italis scribendum esse *potius pereatque* bene disseruit Dissenius.[1])

*IV*) ad pag. 22.

I, 2,29.30 Baehrensium, qui I, 2,29.30 suo loco alienos iudicavit versus, effugisse videtur Wunderlichii[2]) de sententiarum nexu iudicium prolatum. Postquam enim suo ipsius exemplo poeta demonstravit fortibus, quos *non vetat obscura surgere nocte timor,* nulla pericula, nullas insidias in via nocturna imminere, aptissime hac sua ipsius ex incolumnitate generalem petit sententiam *Quisquis amore tenetur eat tutusque sacerque* e. q. s. Porro respicias Propertianos versus, qui hunc locum apertissime exprimunt IV, 15,11 sqq.

11 *Nec tamen est quisquam sacros qui laedat amantes* = Tib. vv. 27.28
13 *Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris*
14 *Nemo adeo ut noceat barbarus esse volet* } = Tib. vv. 29.30

Vides igitur Propertium eundem sententiarum ordinem retinuisse.

I, 2,25 Hic Propertii locus claram offundere videtur lucem ad Tib. I, 2,25, ubi vox *anxius*, quippe quae sensui adversa fronte repugnet, iam dudum viris doctis iniecit scrupulum. Quomodo enim anxium se vagari is potest dicere, qui suo ipsius exemplo amatae exponere vult, solis intrepidis Venerem favere? Interiit sane v, 26; tamen ne hic quidem potuit quicquam continere, quo *anxius* defenderetur, nisi forte pentameter, qui excidit, expressit Venerem poetae anxio non favere, id quod neque quadraret ad ea, quae sequuntur, neque aptum esset Deliae audaciam ad inferendam. Itaque recte fere interpolatores sensum pentametri assecuti sunt. Offensio autem, quae inest voci *anxius*, non tollitur interpretatione Vossii[3]) et Dissenii,[4]) qui *anxius* idem esse volunt quod „anxius amore, amoris curis sollicitus." Quam contra explicationem primum recte dicit Wunderlichius[5]) nil esse, quod poeta amoris curis sollicitus sit; deinde autem rectissime monet Baehrensius[6]) hoc vocabulum ob vitandam ambiguitatem adhiberi nequisse, quippe quod nemo non acciperet pro „metuens, timidus." Ac Baehrensius quidem *incitus* scribendum esse putat. Mea tamen sententia in voce *anxius* aliquid latet, quod et ad vestigia tradita et ad rem ipsam propius accedat. Iam recurramus ad Propertii illud carmen supra commemoratum, ubi videbis vv. 12,13,15 poetam sat copiose verba facere de ipsis viis, quibus maxime instant pericula. Cum igitur hoc Tibulliano loco de periculis dicatur, qualia amatoribus vagantibus imminere solent (cf. Horat. Sat. I, 2,42), fortasse et Tibullus, quem Propertius imitatus est, iam indicaverat, ubi et qua via insidiae illae fierent. Talia autem non clara luce, sed *tenebris,* non viis celebribus, sed deverticulis vaganti occurrere possunt. Porro, quoniam non temere et inconsulte se vagantem fingere potest poeta, sed cursum tendentem ad amatam suam eamque nuptam et a marito aemulo saeve custoditam, bene intellegimus, cur *tenebris* vagetur, et post-

---

[1]) comment p. 21.
[2]) observ. p. 34.
[3]) p. 155.
[4]) comment. p. 39
[5]) observ. p. 34.
[6]) proleg. p. 22.

quam enunciavit poeta, quando vagaretur, fortasse etiam indicavit, qua via vagaretur (ut Propertius dicit v. 18 *Huic generi quovis tempore tuta via est);* cum igitur de re furtiva agatur, non per vias publicas, sed per angiportas se vagantem poeta fixerit. Hic autem sensus restituetur, si per lenem mutationem cum Broukhusio[1]) scripserimus *avius*, ita ut hic efficiatur sensus: Adspice me, Delia; me quoque fortem adiuvat Venus, etiamsi nocte per remotas vias eo, ubi multa mihi imminent pericula. Iam cf. haec exempla, ubi similiter *avius* usurpatur:

Lucret. II, 82 *Avius a vera longe ratione vagaris.*
Verg. Aen. XI, 810 . . . *in montis sese avius abdidit altos.*
(Verg. Aen. II, 736 . . , . . . *Namque avia cursu*
*Dum sequor et nota excedo regione viarum.*)

Hac data occasione non alienum puto de Propertio Tibulli imitatore nonnulla verba facere, praesertim cum grave quoddam inde possit colligi. Ac Propertius non modo saepenumero eadem ac Tibullus tractavit argumenta, sed etiam singulos versus singulasque elocutiones imitatus est.

Statim primi Tibulli carminis materiam a Propertio tractatam invenimus partim IV, 16, partim I, 6

cf. IV, 16,15 *Ipse seram vites . . . . . =* Tib. I, 1,7 *Ipse seram . . . vites*

I, 6,5.29.30 *Sed me complexae remorantur verba puellae.*
*Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:*
*Hanc me militiam fata subire volunt.*

= Tib. I, 1,55.53.75.76 *Me retinent vinctum formosae vincla puellae.*
*Te bellare decet terra, Messala, marique.*
*Hic ego dux milesque bonus: vos, signa tubaeque*
*Ite procul.*

Sagae artium descriptionem exsecrationesque in illam prolatas invenimus apud Tibullum I, 2,45 sqq.; I, 8,19 sqq.; II, 6,44; apud Propertium V, 5; I, 1,19 sqq.

Prop. I, 1,23.24 *Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes*
*Posse Cytainis ducere carminibus.*
= Tib. I, 2,45.46 *Hanc ego de caelo descendentem sidera vidi,*
*Fluminis haec rapidi carmine vertit iter.*

Prop. I, 1,19 *At vos, deductae quibus est fallacia lunae*
= Tib. I, 8,21 *Cantus et e curru lunam deducere tentat.*

Carmen, quod dicitur παρακλαυσίθυρον, apud Tibullum extat I, 2, apud Propertium I, 17.

cf. Prop. I, 17,37 *Te non ulla meae laesit petulantia linguae*
= Tib. I, 2,11 *Et mala siqua tibi dixit dementia nostra.*

Singulorum versuum elocutionum sententiarum haec afferam similia:

Prop. III, 6,23 *Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore.*
= Tib. I, 1,69 *Interea dum fata sinunt, iungamus amores.*

Prop. IV, 24,33 *Vellere dum cupias albos a stirpe capillos.*
= Tib. I, 8,45 *Tollere tum cura est albos a stirpe capillos.*

Prop. V, 6,5 . . . . *date et blandi mihi turis honores.*
= Tib. I, 7,53 . . . . *tibi dem turis honores.*

Prop. V, 3,69 . . . . *conserva foedera lecti*
= Tib. I, 5,7 . . . *per te furtivi foedera lecti* . . . . *quaeso*

---

[1]) Broukhusium hanc protulisse coniecturam oblivione paene obrutam testatur Huschkius (edid. p. 46.)

Prop. IV, 14,2 *Nec veniet sine te nox vigilanda mihi.*
= Tib. I, 2,78 . . . . *cum fletu nox vigilanda venit.*
Prop. V, 4,23 *Saepe illa immeritae causata est omina Lunae*
= Tib. I, 3,17 *Aut ego causatus aves aut omina dira.*
Prop. III, 22,8 *Quicquid iurarunt, ventus et unda rapit*
= Tib. I, 4,21.22 . . . . . *Veneris peruiria venti*
*Irrita per terras et freta summa ferunt.*
Prop. III, 7,15 *Ergo muneribus quivis mercatur amorem?*
45 *Haec videam rapidas in vanum ferre procellas,*
46 *Quae tibi terra, velim, quae tibi fiat aqua.*
= Tib. I, 9.11 *Muneribus meus est captus puer. at deus illa*
12 *In cinerem et liquidas munera vertat aquas.*
Prop. III, 18,15 . . . . . *teritur robigine mucro*
16 *Ferreus et parvo saepe liquore silex.*
,, V, 5,20 *Saxosamque terat sedula culpa*[1]) *viam.*
= Tib. I, 4,18 *Longa dies molli saxa peredit aqua.*
Prop. III, 26,11 *Nec forma aeternum . . . . .*
= Tib. I, 4,36 *Formae non ullam fata dedere moram.*
Prop. III, 2,17 *Quid tibi* (sc. Amori) *iocundum est siccis habitare medullis?*
18 *Si pudor est, alio traice tela tua.*
= Tib. I, 6,3 *Quid tibi saevitiae mecum est? an gloria magna est*
4 *Insidias homini composuisse deum?*

Sed haec sufficiant. Haec omnia si perlustraveris exempla, invenies omnes imitationes ex Tibulli libro primo desumptas esse, nullum ex secundo. Unum tamen Propertianum exemplum ad Tibulli libri secundi locum quendam videtur referendum. Legimus enim

Prop. V, 5,17 . . . . . *et in me*
18 *Hippomanes fetae semina legit equae.*
Tib. II, 4,57 *Et quod . . . . .*
58 *Hippomanes cupidae stillat ab inguine equae.*
60 *Mille alias herbas misceat illa, bibam.*

His autem locis uterque poeta Vergilium imitatus est, apud quem legimus Georg. III, 280 sqq.

*Hic demum . . . . .*
*. . . . . lentum destillat ab inguine virus*
*Hippomanes, quod saepe malae legere novercae,*
*Miscueruntque herbas . . . . .*

Itaque cum Kuttnero non consentire non possum contendenti[2]) Propertium solum Tibulli librum primum imitatum esse. Huic si id addiderimus, quod Klemannus demonstravit,[3]) Lygdamum quoque solum Tibulli librum primum imitatum esse, his duabus ex rebus non sine aliqua verisimilitudinis specie colligere poterimus his poetis Tibulli librum secundum non notum fuisse. Quod si ita est, Gruppii[4]) sententia vel maxime commendatur, qui gravibus demonstrare conatus est argumentis librum secundum a Tibullo morte abrepto imperfectum relictum esse.

---

[1]) lympha: Itâli.
[2]) De Propertii elocutione quaestiones (dissert. Hal.) thes.
[3]) l. l. p. 56.
[4]) ,,Die römische Elegie" p. 65 sqq. praecipue p. 82. 83.

No. V) ad pag. 24.

Figura anaphorae vv. II, 6,23.24 interrupta prima est causa, cur Guilelmo Fischero concedam hoc distichon interpolatum esse. Sed accedunt alia eaque gravissima. Versatur poeta in spei vi celebranda, quae plurimum valeat in rebus humanis. Iam videamus, quanam ratione poeta argumentetur. Ac primum, quod adfert, exemplum (v.v. 21.22) ex rustica vita petitum est, qua nulla est laborum plenior magisque incertis casibus et ancipiti eventui subiecta. Terrae enim, quamquam mendax esse potest, agricola semina credit incertus, utrum ager ea neget an reddat; attamen sperat *magno faenore* solum redditurum esse semina. Porro (vv. 25.26) servum non modo per se laboriosum opus subire coactum, sed etiam inter opus valida compede vinctum adeo spes recreat relevatque, ut huius miserae condicionis prorsus oblitus ne a canendo quidem desistere possit. Vides igitur exemplis quam gravissimis adhibitis atque in utroque disticho gradatione instituta ingentem vim spei clarissime illustrari. His autem distichis ita comparatis inepte interpositi sunt

vv. 23.24 *Haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces,*
*Cum tenues hamos abdidit ante cibus.*

Cum enim illorum distichorum pentametri quasi cumulum contineant gradationis atque id ipsum efferant, quo maxime spei vis depingatur, hoc pentametro docemur, quo modo pisces capiantur, id quod tum demum fieri possit, cum antea cibus hamos abdiderit. Quem tandem ad finem hoc omnino dicitur, quo nil potest esse ineptius! Quid hoc ad spei vim illustrandam? Dissenius [1]) quidem hoc addi putat „ut intellegas, quam tenuis spes sit.“ Sed nonne hoc ipsum toti argumentationi, in qua poeta versatur, adversa fronte repugnat? Neque enim demonstraturus est poeta, quam spes sit tenuis, sed quam sit fortis atque valida quamvis rebus adversis. Accedit offensio gravissima. Cum enim in hexametro (v. 23) de aucupio pariter ac de piscatione dicatur, pentametri verba solorum piscium pertinent ad captationem; hamis nempe volucres capi non solent. — Quibus expositis dubium esse nequit, quin hi versus ab interpolatore quodam crassa Minerva inserti sint. Desumpsit autem eos de carmine idem argumentum continente, quod legimus in antholog. lat. No. 415 (ed. Riese). Quo in carmine cum invenisset interpolator hos versus (20.21)

*Captivus duras illa solante catenas*
*Perfert et victus vincere posse putat.*

et v. 51 *Sperat, qui curvo sulcos perrumpit aratro.*

qui similes sunt Tibulli vv. 25.26 et 20.21, a se impetrare non potuit, hos quoque versus (53.54)

*Spes hamis pisces, laqueo captare volucres*
*Erudit.*

huic elegiae Tibullianae ne inculcaret.

---

*NB. Sero per indices cognovi Rothsteinum et Leonhardum item de Tibulli codicibus disputasse, quorum virorum doctorum dissertationes mihi adhuc non sunt praesto.*

---

[1]) comment. p. 307

PA
6789
W5

Widder, Fridericus
De Tibulli codicum fide
atque auctoritate

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY